

XI 180

Kat. II 644







REPETITA ET NECESSARIA
DEFENSIO
JUSTÆ PROTECTIO-
NIS SAXONICÆ, IN CIVITA-
TE ERFURTENSI;

Adversus scriptum sine exemplo virulen-
tum & contumeliosum,

TITULO
Affertionis Moguntinæ,
Mense Octobri anni præteriti
vulgatum.

ANNO
M. DC. LXIV. Mens. Mart.

1857/49-2535

171

10

Nr. 109. def. 341. Lude 1363.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

A. d. Bibliothek
des Thüring.-Sächs.
Geschichtsvereins.



Prodiit Mense Octo-
bri anni præteriti, & ineunte
hoc anno per Germaniam vul-
gari coepit, *Affertio Juris Mo-*
guntini, adversus Justitiam protectionis Saxo-
nicae in Civitate Erfurtensi. Scriptum adversus
Serenissimam Familiam Saxoniam contume-
liosum, cavillatorium, tumidū fastu, minis hor-
ridum: Tale deniq; , qvo insolentius & morda-
cius , in causis Principum Imperii, etiam bello
inter se commissorum, nostra non vidit ætas. Ut
tamē autoribus [plures enim arguit styli discre-
pantia, parenthesiū importunitas, disciplinæ &
principiorum varietas] non deesset inauditæ
criminationis prætextus; præfati unculâ occu-
pandum esse censuerunt lectorem , qvâ Scri-
ptorem Saxonicum per summam injuriam ac-
cusant eorum , qvorum ipsi omnium judicio
manifestò rei deprehenduntur. *Nam aculeata*
dicteria, ludibria rerum & verborum, impu-
den-

(0)

2

den-

dentes & injuriosas negationes, probra, acer-
bitates, depravationes, contemptum, omnibus
foliis versibusque adeò cumulatim exerunt &
projiciunt Assertores isti, ut in hoc unum *do-*
ctrinam & ingenium habere videantur. Ad
veritatem enim dictorum & argumentorum
efficaciam præsidia, quibus opus erat, attulisse,
non probabunt juris publici privatiqve peritis.
Quemadmodum autem qui in prælia sine ju-
stis armis descendunt, quantumvis variè orna-
ti, vel ira etiam tumidi, aut in convitia acres,
patent tamen ad ictus, & facilem hosti victo-
riam præbent: Ita Ministris Saxonis non fuit
arduum, fabulis & cavillis instructos veritatis
vi & argumentorum robore superare. Effre-
nem tamen maledictorum petulantiam meritâ
ubiq; animadversione aut retorsione persequi
sibi temperarunt, qui sciunt primam esse ultio-
nis legem, quam post sacras literas etiam sapien-
tissimus Imperator Antoninus commendat,
τὸ μὴ ἰσομοιῆσθαι. Similes itaque adversariis omnem
modum excedentibus minime futuri, causæ &
rebus, non verbis & insectationibus operam
impendendam censuere. Habeant itaque sibi
Af.

Assertores, (hoc nomine vocabimus, quos ad
 exemplum, quo vanum Expositoris vocabu-
 lum trecenties fere usurparunt, quovis alio co-
 gnomento exagitari fas esset) habeant, ut dixi-
 mus, elegantias suas, non aliis magis conve-
 nientes: *Perfrictam frontem*^a, *infinitam impu-*
dentiam^b, *Sycophanticam nequitiam*^c, *blatera-*
tionem convitiatoriam^d, *foedam lectores deci-*
piendi libidinem^e, *insaniam, furorem, adulatio-*
nem^f, *decoctum pudorem, putida & expedita*
mendacia^g, *proterviam intolerabilem, rabiem,*
maledicentiam^h, *artificia juri divino humano-*
*que inimica*ⁱ, *circumforanei sophistæ artes*^k, *ra-*
bulariam improbitatem^l, *& mille alia ejusdem*
modestiae curvis obvia. Nam quæ de contemptu
 Cæsareæ Majestatis, de rebellione procurata,
 aut protecta, de irreverentia etiam in Eminen-
 tissimum Archiepiscopum Electorem Mogun-
 tinum, sine pudore vociferantur, atrocitate ca-
 lumniam semetipsa conficiunt; neque recenseri
 nedum refutari merentur.

Curiositatem denique Assertorum non æ-
 mulabimur, quâ explorasse existimantes, quis
 esset autor libelli Saxonici, plus laboris sumse-

(○) 3 runt

runt in illo, quem sibi imaginantur, traducendo, quam in causa tractanda. Lateant ergo per nos, quantum velint & possint, virulenti & famosi libri autores, etsi non magnam industriam deprehendendi! Gaudeat iniquitatis mercede quamdiu licebit, si quis operam ad maledicendum locavit, Balaamus! Expleverint etiam ad suam infamiam odii, & protervæ dicacitatis intemperantiam interpolatores, & parenthesisum atque additamentorum magistri! Non effugient tamen meritam vindictam. Oblatrabit iis proprii pectoris conscientia: Incumbet universale odium Germaniæ; ulciscetur alieni juris appetentiam & sanguinis cupiditatem, cui legitimorum Principum tutela, & innocentium, etiam fontibus permixtorum salus curæ est, supremum Numen, & proxima illi in terris Cæsarea Majestas. Ipse etiam Eminentissimus Elector Moguntinus, æquior longè animum ad causam hanc afferet, quam qualem ex suo ingenio, cum tanti Principis injuria, fingunt & exhibent assertores. Dimissis itaque ministris, qui mortales & mutabiles sunt, ad principum æterna jura & causam ipsam Serenissimorum.

Sa-

Saxoniae Electoris & Principum nomine defendendam, id est, ad Jus Protectionis in Erfordiâ, inò ad ipsum Principatum Thuringicum adversus assertorum injurias vindicandum accedimus, non aliâ fini, quam ut denuo de jure optimo maximo Principum, & de adversariorum horribili calumnia edocti, quibus Justitiæ & pacis cura incumbit, *Augustissimus Imperator*, & qui in Comitibus Majestati ejus adsunt, *Imperii Proceres*, animum ad hæc tantò promptius lubentiusq; advertant. Quod cum priori libello, quando alia non erat de jure Principum adversus structas etiã tunc calumnias & effusas gloriationses testificandi facultas, non segniter actum sit, repetitione jam tùm dictorum studiosè supersedemus; brevitatis, quantum fieri potuit, in refutando scripto præter necessitatem diffuso, rationem habituri. In quo tamen instituto si quid omissum à nobis fuerit, ne agnitum habeatur, decenter protestamur. Non enim convitia tantum & scommata, quæ dimidium libri Moguntini constituunt, transmittersse & autoribus suis relinquere professi sumus, sed & leviora alia dissimulavimus, ne singulis & mi-

nu-

nutis examinandis in majorem molem excre-
sceret Apologeticus noster, quàm ferre possent
legendium tempora. Eo consilio etiam exor-
dium assertorum, affectata sophismatum subti-
litate odiosum, & ad causæ pondus nihil colla-
turum, cum totalia dicenda sint, ultro præterii-
mus, initium ad singula, quæ id exigebant, re-
spondendi, in p.9. facturi.

Addenda & corrigenda.

A 1. b. lin. 7. post &: inferre: successor ejus Lullus. C. 2. lin. 5. allegandus est
Paul. Lang in edit. Pistor. p. 772. D. 2. lin. 11. post *severum* add. sive strenuum. D. 2.
lin. 23. Illustre etiam exemplum addi potest, quod sequitur: Wolfgangus Comes
Gleichensis superiori seculo in Thuringiâ castellum *Ehrenstein* / cum quatuor aut
quinque vicis, feudum Imperiale possidebat; Eum tamen Joh. Fridericus Elect. Saxo
ad militaria servitia imminente bello Turcico vocabat an. 1543. Sæpè enim nullâ feu-
dorum distinctione Comites isti vel milites miserant, vel Collectas præstiterant Pro-
vinciæ Principibus. Respondit Wolfgangus, literis *D. Lunæ post Stephani*: se istius
castelli nomine jam Imperatori pro militibus pecuniam solvisse, ac porro soluturum,
neque aliter posse, cum præter feudum illud Imperiale nihil possideat, & bellum hoc
ad totum pertineat imperium, petere itaq; ne hoc tempore dupliciter gravetur. Sci-
re tamen se, feudum hoc in provincia Electoris situm, in *E. Churfürstl. Gn. Land und
Fürstenthumb betraist* / itaq; sui protectione *Schutz und Schirms* / ut cæteri
Landsassii; Alio itaq; casu, quando non de Imperii sed Principis & provinciæ salute
ageretur, da *E. Churfürstl. Gn. Sache derselben Land und Fürstenthumb betref-*
fe / se non subditos solum ad collectas & servitia, verum semetipsum, corpus opes-
que, promptè exhibiturum. G. 2. lin. 16. Si quis Fabricii sententiam loco ab Asser-
toribus citato sequatur, facile tamen deprehendet minimè eâ juvari causam Mo-
guntinam. Narrat enim Erfurtenses ab Elect. Saxone, ob profanatum locum sacrum,
per Archiepiscopum Electorem Moguntinum requisito ad multam adactos: causa
itaque fuit ecclesiastica, & Elector Saxo autoritatem suam interposuit, jure ordina-
tio. *Corrigenda fortassis non pauca occurrent, præsertim ubi interpunctiones multipli-*
cata aut trajecta, vel litera mutata sunt, ut alicubi oligarchia pro oligarchia; licetas
pro libertas. Tum D. 1. lin. 16. an. 1632. pro 1631. & a. 1. b. lin. 12. impositarum pro
interpositarum. Speramus tamen, hæc atq; alia Lectorem facile correcturum esse.

Ad



Ad pag. 9. 10.



Non poenitet JUSTITIÆ SAXONICÆ defensorem ab illa quæstione disceptandi initium fecisse, ex qua vel assertâ, vel negatâ momentum maximum ad victoriam causæ procedit. Neq; frons ei perfricanda fuit, negaturo, quæ negârunt incluti & regiæ originis Principes Saxones & Catti, quotquot unquam fuere post Ottonis Magni tempora; & negabunt porro, quoties, sine ulla legitima probatione, narrari & asserti intelligent, *Gvilielmo Archi-Episcopo Moguntino ab Ottone I. donatam esse universam Thuringiam & Hassiam*, unde sequeretur, qui post Ottoniana tempora fuere Thuringiæ Principes, aut patientiâ & gratiâ Moguntinâ, aut nullo jure, imperio in provincia potitos. At quomodò asserta probare aggrediantur, videamus.

Et primo quidem, non quæri, dicunt, *an Bonifacius non adquisiverit summum civile in Urbe Erfordiansi imperium*. Fuit tamen tempus, cum ejusdem universalis tituli affectatores dicerent, trecentis ante Landgravios annis, Thuringiæ imperium Præsules Moguntinos habuisse. Is calculus Ottonis I. liberalitatem toto seculo antevertit. Fuit etiam, cum (*vid. p. 15. assert.*) Erfurtenses, stylo, ut constat, Moguntino, computum annorum, quo civile imperium Moguntinum Erfordix cœperit, à Bonifacii temporibus deducerent. Quæstio itaque hæc non differenda, sed candidè aut neganda aut affirmanda erat. Sed id scilicet nunc non agunt, acturi fortè, cum ab Ottonianæ donationis commento dejecti, ad S. Bonifacii patrocinium se recipient. Nam ad id viam sibi muniunt, cum dicunt, *non consuevisse in aliqua urbe fundari Episcopatus, quin donationibus quibusdam dotarentur, & cum possessionibus variis*

A

riis



variis jura illis complura, etiam territorialia, attribuerentur. De donationibus quibusdam nemo ambigit; sed quæ de juribus territorialibus in ipsa fundatione attributis, sine temporum & locorum distinctione asserunt, non magis probari possunt, quàm ad jura territorialia referri, quæ ex Bonifacii, Episcopatum Erfordiæ meditantis gestis, probationis aut exempli loco subjiciuntur; quod scilicet *ad eam D. Mariæ edificaverit, & corpus Eobani Episcopi Erfordiam transtulerit.* Magnam rem præstiterint assertores, qui in ipsa urbe Moguntia jura territorialia tempore fundationis tradita fuisse Episcopis, probaverint. Inò verò multis post fundationem annis *Regino*, aut vetustissimus ejus continuator, ab *Ottone I.* obsessam Moguntiam, *Métropolin Francia, regiamq; Civitatem:* eandemq; Moguntiam, non quâ Archi-Episcopi sedem, sed quâ urbem, combustam nempe anno 1071. *caput Gallie & Germanie* vocat autor *Apologetici, pro Henrico IV. in edit. Freherian. p. 135.* & *Rudolpho Svevo Imp. Anti-Henriciano* jurasse, eandem memorat *Scriptor belli Saxonici in anno 1077.* & *Lambertus Schafnaburgensis*, dum *Coloniensis Urbis* anno 1074. sub *Annone Archi-Episcop.* cladem miseratur, civitatem illam vocat *post Moguntiam, caput & principem Gallicarum urbium;* denique Archi-Episcopus ille, *sive Christianus II. sive alius fuerit,* qui Moguntinorum, *Arnoldi Archi-Episcopi* occisi pœnas luentium, calamitates descripsit, non oblitus est libertatis sub *Friderico I.* urbi ademptæ. Hæc uno atq; altero post Ottonem seculo Scripta, indicio sunt, quàm non facile magnarum urbium Principatum Imperatores abs se abdicaverint; etiam si Episcopis in illis sedem, & decimas, & donationes alias non inviti concesserint. Quid autem facient tot urbibus, non dicam in Gallia, Italia, Hispania, sed in Germania, in quibus fundati sunt Archi-Episcopatus & Episcopatus, *sine compluribus juribus territorialibus,* manente urbibus summâ, quâ sub imperii majestate frui licet, libertate; quanquam etiam *complura jura particularia* non efficiunt summum civile imperium, non erunt enim, neq; sine captione dici poterunt, voce universalitatem notante *territorialia,* quæ non habentur ab iis, qui *territoriali, i. e. universali* jure imperant. Itaque Jurisdictio civilis Episcopi, non est Jurisdictio territorialis, nisi probetur, Episcopo etiam Territorii jus competere.

Jam ad arcem controversiæ accedendum est. Probandum suscipiunt, *Ottonem I. Imp. Thuringiam filio Gvilielmo Archi-Episcopo donasse, & inde deducunt jus Moguntinum in Erfordiam, sive imperium & dominium Urbis universale.* Alibi magno numero Historicos in testimonium vocatos, nec repetendos ajunt. In uno tamen *Anonymo de Landgraviis Thuringia scribente*, vim omnem probationis statuunt. Omnes enim, quos alibi allegarunt Historicos, si hic denuò allegassent, recentiores esse, & Anonymum secutos manifestum esset. Totum itaque tam vastæ prætensionis molimen, unius nititur anonymi anonymâ & ignobili traditione. Mille, qui hunc exscripserint, autores posteriorum temporum, nihil ei ponderis addent; nedum pauci illi, quos allegarunt. Ex quibus tamen, qui alicujus sunt nominis & eruditionis, ut verisimiliora narrarent, non unâ ratione, futiliter & nullo fundamento dicta temperarunt. Utinam bonâ fide *Paulum Langium* citassent, qui statim post illa verba, quæ nobis objiciunt, hanc epigrisin subjungit: *Hoc (donatam nempe esse Moguntino Thuringiam & Hassiam ab Ottone I.) mihi videtur verum, quantum ad jurisdictionem spiritua-lem, & fortassis etiam ad aliquanta temporalia bona, nam ipsa Hassia ab illo tempore usq; in present, semper habuit in temporalibus dominum, qui se hujus terræ Principem & Landgravium Hassie scripsit.* Maluit Hassiæ Landgraviatum, quàm Thuringiæ, in exemplum allegare, quod hic sub Saxonici Ducatus titulo includeretur. *Chytrai & Fabricii* stylum ipsi taxant assertores. Sed *Manuscriptum* extat *monasticum*, Germanicâ lingvâ, seculo decimo quinto ineunte exaratum, unde anonymus ille Latinus omnia sua hausit, quod etiam *Bangius & Binhardus*, de plebe literatoria homines & ludimoderatores pagani, nullo discrimine secuti sunt; & hæc incuria aut inscientia *candoris* laudem hic sortitur. Documentorum & actorum inspiciendorum copiam habuisse, nullâ ratione dici potest anonymo, qui unicum refert diploma *Conradi*, à Monachis *Reinhartsbrunnensibus* vulgatum: Quod vel inscriptio ostenderit, cum *Ludovicum Comitem Fratrem* vocant, & eodem stylo utitur anonymus alter priori annexus, ubi ait: *Fundator nostræ Ecclesiæ.* Tali igitur Scriptori post quingentos annos nova & in audita comminifcenti, aut ejus descriptoribus & interpolatoribus credamus, scilicet, quod non tra-

didere, qui *Wilhelmi Archi-Episcopi Moguntini ortum, dignitatem, tineram, morbos, mortem*, diligenter eo, quo acciderunt tempore, aut ab oculatis testibus accepta, paulò post consignarunt. Hunc scilicet non spernamus ineptiarum magistrum, qui nobis *Julium Cesarem sistit, Lunenburgum ad Albim, ob Lunæ splendorem & cultum, vel ut est in Germanico, bey Mondschein; in Misnia Heburgum, à nomine scilicet Julio denominatum, in Thuringia, Cuffze, (Kiffhausen habet manuscriptus) id est, confusionem, in Hassia Wimmelburgum (Boymelburg est in MS. ab arboribus, ut ait, ita dictum) edificantem, qui Papissam Johannem Erfurti concilium habentem, qui alia narret, ob quæ illum belluam vocat Albertus Krantzius lib. 1. Saxon. cap. 23. cujusque tradita puerilium fabularum & anilium deliramentorum nomine, idem in Exordio Saxonica Historie notavit. Placulum profectò non est, gravis hujus auctoris exemplo, uno disflare spiritu commenta Monachorum, & spernere, qui seipsum spernendum & irridendum omnibus prostituit, qui si documentorum inspiciendorum copiam habuit, rem maximi momenti novè à se dictam, non confirmaverit potius adducto documento, quam inero & improbabili asserto narraverit. Ut jam omittamus, neque hunc satisfacere postulatis Moguntinis, qui non asserit donationem Ottonianam, ex Langio malignè citato exterebratam, sed de Episcoporum regimine quodam per annos septuaginta continuato, laxè satis & confusè commentatur, ut aded inscriptio seu rubrica capituli istius decimi, de Ducatu nempe Thuringia ad Episcopos Moguntinos devoluto, cum nigro parùm conveniat; Neque majoris est ponderis, quod de nobilibus Erfordia ad defensionem terræ, ut nugatur, locatis addit. Potuit id enim etiam à non Principe fieri; quid enim consuetius tunc fuit, quam ut Episcopi & Abbates plurimas familias nobiles feudali jure sibi devincirent? Etiam si verò à negantibus probationes exigere incivile sit, & affirmantibus testis unius inepti præsertim, & de antiquis nova proferentis dicta nihil proficiant; fiduciâ tamen veritatis & libertatis patriæ ac dignitatis Principum, adversus contumeliosam fabulam asserendæ facilè, (quantum hîc quidem opus erit,) ostendemus: *Imperatores & Principes post Ottonem I. Imp. suo & proprio, non Moguntino jure aut indultu, Thuringiam rexisse.* Non dixi-*

mus.

mus, contumeliosum esse Principibus, feuda quædam etiam ab Episcopis accepisse, aut illorum vicem gessisse, quanquam neutrum probatum est: contumeliosum tamen existimamus, asserta donatione universæ Thuringiæ & Hassiæ, Archi-Episcopo Moguntino factâ, id simul inferre, quod inferunt malo exemplo & verbo intolerabili p. 10. *Archi-Episcopos passos esse multa e jus provincia ad alios devenire Dominos. Quid sibi velit hæc patientia, experiendo didicimus. Consequentia istius effecti sunt, quæ ut absurda jam supra meritò rejecimus. Is nempe, qui Thuringiæ & Hassiæ universale imperium ab Imperatore Ottonem traditum esse ait Archi-Episcopatum Maguntino, hoc simul asserit, eos, qui post Imperatorem Ottonem I. Thuringiæ universale imperium in patrimonio habuere, (nam de Imperatorum supremo domino nulla est quæstio) vel usurpatores fuisse, vel Principatum illum ab Archi-Episcopis titulo concessionis & investituræ acquisivisse. Sed imperatores Ottonem I. III. Henricum II. quibus Saxonia & Thuringia patrimoniales provincia fuerunt, aut ceteros Thuringiæ Principes, quorum ante Landgravios Synchroni & probati Scriptores mentionem faciunt, usurpatores fuisse, incredibile & impium dictum est: Concessionem autem Archi-Episcoporum intercessisse probatum hactenus fuit impossibile; restat igitur, ut nisi aut ablatio & detentio injusta, aut concessio legitima probetur, etiam antecedens ipsum falsum sit, nec sine injuria & perpetuæ litis medicamento jactari queat patientiâ nempe Moguntinâ Principes in Thuringia regnare. Porro contra historicum recentiorem, valida est argumentatio ex traditis veterum, qui res non auditas, sed visas, aut ab iis, qui viderunt acceptas memorarunt. Eatenus nimirum vox negantium, qui præsentibus fuerunt, longè præferenda est affirmantibus nec visa, nec à fidedignis audita, nec valido documento probanda. Urget hoc Nicolaus Serarius S. I. rerum Moguntinarum Scriptor, cum narratiunculâ, de Hattonem II. Archi-Episcopo: à muribus devorato, falsi arguit. Videatur ejus liber IV. c. 4. & notentur verba, cum ait: Ecce, fuere illi ipsi Hattonis avo Scriptores proximi, qui diligenter Moguntinorum Episcoporum nomina, gesta, annotarunt, Lambertus Schafnaburgensis, qui se anno 1058. i. e. 90. annis post Hattonem, Presbyterum Schafnaburgi ordinatum narrat. Marianus Scotus qui anno 1069. i. e. 12. annis post Lamberti Presbyterum Euldâ in S. Albani Monasterium Moguntiam venit, ibidemq.*

A 3.

Do-

Dodechino teste, deinceps vixit, & mortuus est. In ipsis de Hattonis vir-
ribus ne mihi quidem. Successere istis Sigebertus, Otto Frisingensis, Hel-
moldus, Conradus Lichtenavius Abbas Urspergensis, Gottfridus Viterbien-
sis, Albertus Stadenfis, &c. & paulo post: fieri qui potuit, ut è vetustiori-
bus nemo unus qui rem eam vel verbo uno in historiis, concionibus, cohorta-
tationibus, comminationibus attigisset, inveniretur.

Anonymo igitur, ut supra innuimus post tot ætates, iucomperta
veteribus prode, opponimus illorum seculorum Historicos, à quib⁹
nec ignorari potuit, nec taceri debuit, immensa illa, & æternâ comme-
moratione, si facta foret, digna Imperatoris munificentia; uni filio Cle-
rico, ne legitimo quidem, plus aut non minus donantis, quàm legitimis
liberis reliquerat. Witechindus Monachus Corbejenfis, qui filix Ottonis
I. libros suos inscripsit, Henricum Aucupem patrē Imp. narrat (lib. 1.)
Hattoni Archi-Episcopo abstulisse omnia, quæ in Saxonia vel Thuringia
habuerit. Nunciatum enim Henrico fuerat de insidiis consilio Hatto-
nis ipsi paratis, de quibus Dithmarus lib. 1. eadem recenset. Quis cre-
dat tacuisse hominem Monachum, & extollendæ liberalitatis Principū
suorum materiam undique conquirentē, de donatione Metropoli Mo-
guntinæ facta ab Imperatore, qui non tacuerit, vel injuriam vel ultio-
nem à parente ejus illatam? Idem Witechindus non immemor Wil-
helmi Archi-Episcopi, imò ejus *Σύλχερον*, ut tradit Trithemius in
Hirsang. an. 954. hæc scribit lib. 3. Eo tempore, quo hæc intra Italiam
gerebantur (anno scilicet 968.) summus Pontifex, (Moguntinus nem-
pè) Wilhelmus, vir sapiens & prudens, pius & cunctis affabilis, à patre si-
bi commendatum regebat Francorum imperium, cujus mater licet pere-
grina, nobilitatem genere erat procreata. Hic, cum audisset egrotare cœ-
pisse matrem Imperatoris, mira sanctitatis fœminam, nomine Mechtildem,
dumq; ejus expectat funus, proprio funere ipsius funus precedit. Dith-
marus illustri genere in Saxonibus natus, Ottonum sanguini cognatione
aut affinitate junctus, & ab Henrico II. Episcopatus Merseburgensis
dignitate auctus, Wilhelmi hujus non uno loco meminit. Libro enim
Chronicorum II. hæc narrat: Fridericus Archi-Præsul (Moguntinus)
18. ordinationis suæ anno, vir abstemius obiit, & Wilhelmus de matre
quamvis captiva, tamen nobili & Slavonica & ex Rege prædicto (Ot-
tone I.) genitus, vice ejus ordinatur an. 954, tradit paulo post, ut Wilhel-
mus

mus cum Imperatoris filio in Italiam profectus fuerit. Per occasionem
autem, mortem ejus in præcedentibus commemoraverat, his verbis: In-
super Wilhelmus sanctæ Archi-Præsul Moguntina, cui cura ab Imper.
Domino suimet & parente, commissa fuit, Parthenopolin disponendo, cate-
raq, regni necessaria regendi, cum ægrotantis reginæ finem Mechtildis ex-
pectaret, in Redulverode VI. Non. Martii moritur. Addit ægrotantem
reginam præfagam mortis Wilhelmi fuisse, & ejusdem obitum Ludol-
pho Corbejensi Abbati per visionem revelatum. An ulli probabile
fuerit, Dithmarum filuisse regiam donationem, Moguntinæ Metropoli
in omne ævum profuturam, qui non siluerit donarium haud magni pre-
cii, fusum nempe argenteum, in memoriam filia Ottonis in ead. S. Alban
Moguntia suspensum. Qui Regionis Abbatis continuavit historiam
ab anno 908. ad annum 967. *Wilhelmum Friderico successisse, à populo
& Clero in Arnestet concorditer electum* notavit anno 954. eundem re-
fert, Ludolphi filii Imp. corpus ex Italia Moguntiam transtulisse & sepe-
lisse ad D. Albanum anno 957. Sub anno 967. infirmitatem quan-
dam ejus adnotat, ex qua tamen Deo miserante brevi convaluerit. Ma-
rianum Scotum audiamus, seculo sequenti Moguntia florentem & se-
pultum, & documentorum inspiciendorum compotem, quippe qui ipsius
Wilhelmi verba referat, ita de semetipso scribentem: *Anno dominica
incarnationis 954. indictione 12. beata memoria Dominus Fridericus san-
ctæ Moguntiacensis Ecclesiæ Archi-Episcopus 8. Calend. Novembr. obiit,
eodem vero anno, ego Gvilielmus tanta successione indignus, loco ejus cum
consensu Cleri & populi ejusdem sanctæ sedis 16. Calend. Januarii, ipsoq,
die pace inter Regem Ottonem, & filium ejus Ludolfum facta, in loco Aran-
stede sum electus, & in die 9. Calend. Januarii Moguntia ordinatus.*
Mortem quoque ejus Marianus tradidit, & sepulturam apud S. Alba-
num in anno 968. Is nempe Marianus memoratu non dignatus fuerit
regiam donationem, qui in anno 1087. non oblitus est liberalitatis à
Vigero Comite quodam Thuringo, in Ecclesiam Moguntinam collata, ab
illo enim Comite pagum Dorlon & cetera, quæ in illa Marchia habere
S. Martino & Episcopo Moguntino tradita refert.

Quod si Wilhelmus verba ista à Mariano descripta, ut refert
Tribemius in Hirsaug. Chron. sub Abbate Sigero in anno 954. ipse Chro-
nicis Moguntinis inseruit, cur non tanti beneficii Archi-Episcopatu
Mo-

Moguntino per se quæsitum meminerit, nulla profus est ratio. Nam ut modestiæ tribueres, quod neque se Imperatoris filium, nec Ludolphi fratrem nominat, at quomodo ingrati notam effugiat, qui tanti muneris in illis ipsis Chronicis memoriam extare noluerit. Vilis scilicet ipsis fuit Thuringia & Hassia, quarum amplitudinem & reditus cæteræ Moguntini Archi-Episcopatus ditiones, non unâ licet accessione postmodum auctæ, nondum tamen æquaverunt.

Hersfeldensis Monachus Lambertus Schafnaburgensis eodem ferè, quo *Marianus* tempore, diligens & supra seculi sui genium cultus Scriptor, Thuringorum res accuratè persecutus est. Is de *Wilholmo* Archi-Episcopo eadem, quæ cæteri jam memorati, recenset, de donatione æquè ac illi ne verbum quidem. Alios ejusdem aut antiquioris etiam ætatis Scriptores, qui ne *Wilhelmi* quidem mentionem faciunt, consultò omittimus.

Sed ne hoc solo ariete commenta anonymi oppugnemus, sat valido licet, adversus hominem ignotæ fidei, nullius eruditionis & seculi recentioris, sine documentis aut actis, nugas meras, quando antiqua refert, nugantem; ostendemus etiam post tempora *Otonis Primi*, usque ad institutum Thuringiæ Landgraviatum, legitimos Thuringorum Principes fuisse, vel ipsos Imperatores, jure patrimoniali & hæreditario, vel alios Ducum, Marchionum, Comitum, titulo, insignitos. Atque hos tantisper pro supremis Dominis, aut certè Moguntinas vices non gerentibus, habebimus, dum concessu atque permissu Archi-Episcoporum eos imperasse, demonstrent Moguntini Principatus propugnatores. *Otonem* ergò *Primum*, dum vixit, ejusque filium *Otonem II.* & nepotem *Otonem Tertium*, tum qui huic successit, ex eadem familia *Henricum Secundum*, Saxoniz & Thuringiæ Principatum, non quæ Imperatores, sed quæ *Henrici* Ducis Saxonici, & postea Regis aut Imper. quem Aucupem cognominant, posteros tenuisse, autoritate & rationibus convincimur. De *Henrico Aucupe* *Witechindi Corbejensis* testimonium adduximus. De *Otone I.* Moguntinos ipsos consentientes habemus, qui quidem nec de posteris *Otonis* dubitare deberent, donec translationem Thuringiæ in Moguntinum certâ rerum fide confirmassent. Sed de his ratiocinantem audiamus *Albertum Kranzium* lib. 4. *Saxon. cap. 16.* qui, postquam narrasset, quomodo

Otto

Otto Magnus Hermannō Billingō partem Saxoniae inferiorem Ducatus titulo adversus incursiones barbarorum tenendam commiserit, hæc subjungit: *Terram verò Brunsvicensem, quæ postea in Ducatum erigitur, & rursus Göttingensem, & quæ Transsylvana dicitur, cum terra Wittebergensi, quæ nunc superior dicitur Saxonia, & omnem Misniam Thuringiamq; cum Saxonici juris, pro se ac posteris servavere Imperatores. Alioqui stultum fuerit ditare extraneum, & suos exheredes facere.* Locum hunc Krantzii, tanquam pro se facientem, sed non integrum allegavit autor *salvationis Moguntinae anno 1647.* Nobis, & cui libet sincerè judicanti, facilè apparet, nihil contra donationem istam potuisse dici accommodatius. Interim non est dissimulandum, in Saxonia & Thuringia jam sub Ottonibus, egregias & multas nobilium familias claruisse, ex quibus concilium aliquod provinciae, absentibus præsertim Imperatoribus, qui Italicis expeditionibus distrahebantur, convocatum, non parva cum autoritate paci publicæ prospiciebat: Imò & his jus fuisse, Ducem aliquem ad vitæ saltem tempus sibi præficiendi. Id irrefragabili *Dithmari Episcopi* testimonio comprobatur. Hic enim *libr. V.* sub *Ottone M. Eccardum* memorat, qui *super omnem Thuringiam communi totius populi electione Ducatum promeruerit.* Post *Eccardum* verò *Wilhelmum Comitem, omnium Thuringorum potentissimum,* refert, reducem in provinciam *Ottonem III.* magnâ gratulatione publico nomine excepisse, *militemq; ejus effectum,* sive ut nunc loquimur, homagio præstito, *remissionem census, rogante populo, impetrâsse.* Censum verò illum, non ut Imperatori, sed ut Saxoniae Duci debitum, & tunc remissum fuisse, docet *Cyriac. Spangenberg* in *Chron. Mansfeld. c. 160.* Otto nempè Dux Saxoniae, *Henrici Aucupis* pater, victis Thuringis eum imposuerat. *Willegisus* eo tempore *Ottonis II.* olim *Cancellarius, Moguntino Archi-Episcopatu* potiebatur. *Hujus vasallos sive S. Martini milites,* *Ottoni III.* contra *Henricum Bavarum* patrum Imperatori fratrem addixisse, tradit *Dithmar. lib. 4.* Itane ille milites quosdam particulari jure sibi obnoxios misit, qui toti provinciae imperare poterat, si prædecessori ejus cum omni jure donata fuisset? aut cur idem *Willegisus* non utebatur jure Principis, sed otiosus Erfordiae desidebat, cum *Wilhelmus Thuringorum* ille rector, *Vinariae* à factione Imperatori adversâ obsideretur? cur in sua provincia *Gislerum Archi-*

B

Epi-

Episcop. Magdeburgensem turbas illas componere patiebatür. Videatur *Dithmarus libr. 4.* Unde verò *Henricus Secundus* Episcopatum Merseburgensem dotare, & de omnibus curtis, ut refert, qui beneficia illa ab Imperatore ipso accepit, *Dithmarus*, duas familias ei attribuere, aliaque ibi memorata concedere potuit, si tota Thuringia & Hassia, jam ante annos plusquam quinquaginta, Moguntia metropoli, cum summo civili imperio concessa fuit?

Succesere tempora, cum post Ottomanam stirpem in Henrico finientem, *Conradus Salicus* ad imperium euectus est, cujus diploma Ludovico Comiti Consanguineo suo, (non Giselæ uxoris, cujus intercessionem ferè semper allegare solet hic Imperator, ut & alii istorum temporum) de parte aliqua Thuringia anno 1039. datum, uti dicere cepimus, ab Anonymo refertur. Quis credat, Archi-Episcopum Moguntinũ eotempore Thuringorum supremum post Imperatorem Principatum habuisse, in cuius provincia Comiti peregrino, (si modò talis fuit, qualem eum nobis fingit Anonymus, & ex illo *Ludimagistri Binhardo & Bangio*) incolæ vendant terrarum & sylvarum spatia, ab omni potestate libera, solius Imperatoris voluntate & confirmatione plenissimo jure possidenda. Facit sanè vel diploma hoc, ut de omnibus dubitemus, quæ nullâ probabilitate de Comitis hujus in Thuringiã adventu, de acceptis à sede Moguntina beneficiis, multòq; magis, quæ de Moguntino, ab Imperatore exorato, & de cognatione cum Imperatrice, & alia id genº manuscriptũ tradit Chronicon, & ex eo Anonymus Latinus & impressi vulgares avidè arripuerunt. Sed ut & illa in medio relinqvamus, nihil ad Principatum universale in Thuringiam conferentia; quid fiet de *Wilhelmo Thuringia Marchione, & fratre eius Ottone*, quorum autores istorum temporum meminere sub *Henrico IV. Imp.* de Wilhelmo quidem tradentes, quod cum *Epone Citicensi Episcopo in Ungariam missus anno 1061. sequenti anno dum sponsam inde suam ducturus esset, obierit.* De Ottone verò etiam hoc, quod *Marchiam quidem sive Principis axioma, post fratris mortem facile obtinuerit, sed beneficia sedis Moguntina non aliã conditione, quam si promitteret Archi-Episcopo, decimas se de possessionibus suis in Thuringia daturum, & ceteros Thuringos, ut idem facerent, coacturum, quam rem multorum malorum seminarium fuisse, judicat Lambertus, detestantibus omnibus Thuringis factum Marchionis, & asserentibus, mori se male,*

le, quàm patrum suorum legitima amittere; quàm multa cognoscent ex his assertores, parùm consentanea propositis suis. Ergone Marchio Thuringorum fuit, cui cogendi omnes Thuringos jus potestasque erat, qui Marchiam non acceptam ferret Archi-Episcopo, sed feuda tantùm quaedam ab illo peteret? à quo Marchione extorquendum erat pactio, quod jure Principis imperari potuisset. Fuit sanè, ut audivimus, talis tantusque Marchio, cujus etiam mortem, & ob mortem ejus *universale Thuringorum gaudium*, idem refert Lambertus anno 1067. Successorem quoque ejus *Egbertum* nominat, qui & Saxoniarum Marchio fuit, Ludolfi filius, Regis patruelis sive sobrinus potius; *Gisela* enim Conradi Salici uxor, ex diversis maritis, & Henrici IV. & Ludolfi communis avia fuit.

Ex hac Egberti successione, junctis iis, quæ Saxoniarum rerum Scriptores, & cum illis Krantz. lib. 4. Sax. c. 86. annotarunt, intelligente licet, aded non vacasse hoc tempore summum Thuringiarum Principatum, ut si non tres, duo saltem familiarum de illo contenderint. Nam ut in dubio relinquamus, an non Conradi II. Imperatoris, & filii ejus Henrici IV. consilium fuerit, sub Comitatus vocabulo Ludovico illi, de quo diximus, consanguineo suo, Thuringorum provinciam regendam committere, de eo tamen ambigere non licet, inter *Ludolphum Saxoniarum Marchionem*, Ottonianarum stirpis hereditatem, & sic Thuringiam quoque vindicantem; & Marchiones illos *Wilhelmum & Ottonem* non simultates modò, sed & bella orta, confusa verò utriusque familiarum jura fuisse, cum mortuo Ottone ad *Egbertum Saxonem* Ludolfi filium etiam *Thuringorum Marchia* devolveretur; qui tamen eam haud diù est gavisus; decessit enim, dum turpe de repudianda uxore consilium agigaret, anno 1068. relicto filio impubere ejusdem nominis.

Hic est *Egbertus*, cujus historiam satis notam & diffusam ex Lamberto, Urspergensi, & Dodechino cognoscere licet, egregio cum argumento, si jungantur ea, quæ ab Archi-Episcopis Moguntinis sub Henrico IV. pro decimis in Thuringia adipiscendis, gesta sunt, quam nulla veri specie civilis Principatus tribuatur iis, qui inter tot molimina super decimis, tantam cum sanguinis effusione mota, ne verbum quidem de tali Principatu facerent, licet ut loquitur Lambertus, *Philosophis & Sophistis optimè instructi*, non unam Erfordiarum Synodum ad reditus suos



augendos celebrarent: quinimò Henricus Imp. & vivo Egberto, qui
ei magnâ vi adversabatur, & à quo, dum castrum ejus *Gleichen* in Thu-
ringia obsideret, clade ingenti affectus fuerat anno 1089. & mortuo eo,
absqve liberis anno 1090. nihil magis intendisse perhibetur, quàm ut
Thuringos sub nullius, quàm suâ potestate immediatè, ut loquimur,
constitutos, æternâ servitute premeret. Hanc illis & verbis dudum mi-
nabatur, & re ipsa intentabat, *constructis in omnibus penè montibus &
collibus munimentis, cum maxima infestatione & onere provincialium,*
secus si fuisset, cur non hoc tempore *Sigfridus Archi-Episcopus*, cujus
constantem fidem sæpè & magno precio ambiit Henricus; cur non
Wecilo ab ipso Henrico, adversante Pontifice, in cathedram Mo-
guntinam locatus, de recuperando, si forsitan interversus ipsis fuisset,
Principatu Thuringico cogitârunt, pulcherrimam non semel occasio-
nem nacti, mutatis aut extinctis Principum familiis? cur non eâ dili-
gentiâ rem longè majorem, universale nempe imperium, in omnem
Thuringiam & Hassiam, quam decimas, nulli non Episcopo vindicatas
persequebantur, quas tamen adipiscendi nullam spem habebant, nisi
magnam eorum partem ipsi promitterent Imperatori? vid. Lambert.
anno 1073. Nondum scilicet orta erat *lux illa historiae anonymæ*, ex
qua donationis Ottonianæ fides fieri potuisset.

Certum itaque est, post Egberti Marchionis mortem anno 1090.
*Henricum IV. Imp. ut & filium ejus Henricum V. Thuringia Principa-
tum, Ducatum aut Marchionatum nulli concessisse, sed rebellionem ultimi
Principis & morte ejusdem vacuum sibi servasse; cum tamen ex reli-
quis Egberti possessionibus alia aliis, & nominatim Henricus V. Imp.
Saxonia seu Brunsvicensis Marchionatum Lothario Supplinburgensi
anno 1106. concederet, cum Ducatus titulo. Cujus Lotharii uxor Rixa,
è sorore Egberti genita erat. vid. Krantz. lib. 5. Sax. c. 27.*

Crevisse autem inter hæc Comitum à Ludovico illo, quem dixi-
mus, descendentium nomen & dignitatem, valdè est verisimile. Servata
sanè è chartis Reinhartsbrunnensis monasterii diplomata fidem faciunt,
prudenter rebus suis prospexisse Ludovicum, Ludovici filium, quem
Saltatorem vocant, Henrici IV. partes secutum, cui sanguine erat jun-
ctus, cujusq; avo Conrado Imp. dignitatis & opum augmenta debebat,
credibile non tantum est, sed documento diplomatis anno 1086. ab Hen-

rico impetrati, probari potest; Id enim *Moguntia* datum est in comitiis, adversus conventum Hermanni Anti-Cæsaris, Quedlinburgi cum Saxonibus & Thuringis habitum, celebratis. Sed consensu reliquorum provinciarum Procerum victum, tandem ab Henrici IV. partibus discessisse, indicant literæ *Walrami Archi-Episcopi Magdeburg.* ad eum scriptæ, & à *Dodechino* relatae anno 1090. (in quibus *Serenissimi Comitis* titulo insignitur) idem colligitur ex bullis *Urbani II.* anno 1093. *Paschalis II.* anno 1100, Pontificum Henrico IV. infestissimorum. Extat tamen etiam *Henrici IV. diploma satis benignum erga Comitem* anno 1103. ut cogitari possit, eum aliquando omnium favorem quæsisse. Nam an. 1105 *Ruthardus Præsul Moguntinus* Imperatoris adversarius, decimas rogatu Comitis, monasterio Reinhartsbrunnensi remisit; quas (sunt verba Archi-Episcopi) *Deo & nobis primitus recognoverat.* Decimas nempe, non ipsam illum tractum terrarum, quem somniant Anonymus & vulgares, donatione Moguntinâ Comiti aut ejus Patri obvenisse.

Viderint igitur, quo fundamento veritatis & justitiæ Principatum illum suum universalem in Thuringia & Hassia extruant, & quo titulo, amotis Imperatoribus & Principibus legitimis, intrudant Episcopos, super patrimoniales Imperatorum provincias, super Duces, Marchiones, Comites, dominantes. Concilient etiam dicta & calculum anonymi sui; nam is septuaginta annorum termino, Dynastiam Moguntinam definit, ab anno autem 954. numerati anni 70. desinunt in anno 1024. Eo igitur tempore, si hunc sequaris, novus in Thuringia Principatus exortus est, *Ludovici nimirum Comitis illius*, cujus historiam capite sequenti anonymus pertexit. Et tamen hic Ludovicus omnia adeptus est; si nugivendo isti credas, beneficio Moguntino, pauper ipse & misellus, miseri etiam Imperatoris, & vix noti, *Conradum enim quendam Francigenam vocat*, consanguineus; cui nulla erat liberalitatem in egenum amicum exercendi facultas, nisi precibus exorâset Præsulem Moguntinum, ut ei prædia quædam, & *vice-Domini munus* in solatium paupertatis & novi Principatus rudimentum concederet. Cur igitur non extensi sunt Moguntini imperii anni, ad sequens usque seculum, quo Landgraviatus erectus est, de quo paulô post differemus. Quid enim decessit axiomati Præsulum, cum Comitem aliquem exterum, Imperatori gratificaturi, in aulam reciperent, & provinciæ suæ

præficerent. Sed fabulæ fabulis incrustandæ erant. Et hic tamen est autor, cum quo stat & cadit omnis de Principatu Moguntino jactatio, tam acerbè & impotenter per tot folia decantata.

Ad pag. 13. 14.

Naturalium filiorum patrocinium suscipientes eò patientiùs ferimus, quo minus ad rem faciunt, quæ à Caroli M. temporibus & Francorum moribus ad Saxonum instituta, de gente ad gentem, & de seculo ad seculum transferunt: sufficit verè notatum esse, Gvilielmum Archiepiscopum non fuisse legitimâ Imp. uxore prognatum, quod tamen, ut certum & indubitatum, tradidère scriptores Moguntini, ut appareat, non in uno eos errasse.

Pag 15.

Illustriora monumenta historica, quàm Camera imperialis olim viderit, producta nunc fuisse, dici audimus, sed minimè probari. Eo magis dubitare licebit omnibus, an Assessor ille, cujus dicta huc violentè trahuntur, anonymo huic fidem fuerit habiturus, quam non habuit allegatis à se *Chronicis manuscriptis*, quibus tamen anonymus omnia sua debet.

Pag. 15. 16.

Clarum, certum, immotum, demonstratum Moguntia titulum universalem in Thuringiam & Erfordiam, si sufficit dixisse, & omnis probationis loco, *historiam de Landgraviis*, tanquam divinæ revelationis mysterium allegasse, næ id dictum est probè, & probatum strenuè, ab iis, quorum sententiâ, *vana est assertio & nulla, cui non alia subest auctoritas*, quam *Ipsè dixit*: at hâc imbecillior etiam illa est, *Anonymus dixit*.

Pag. 16. 17.

Mirum est, titulum universalem, ex jure Landgraviatus deductum, tam confidenter sperni ab iis, qui tantum non desperant, de particulari in Erfordiam titulo, nisi universali illa Ottonis donatione assertâ. Probatio enim particularis tituli, ista sanè nulla est, cum clamant, Erfordia plenissimo jure Moguntina fuit, ante Landgravios: mansit post Landgravios. Deîn novâ philosophandi arte postulant à nobis non propositiones, sed conclusionem probari, *talem potestatem Landgravis*
Tha-

Thuringia datam, qua jus superioritatis in Erfordiam complecteretur.
Propositiones nostræ hæc sunt: prima, *Landgraviatus Thuringia titulus & potestas est universalis.* Altera, *Erfordia est Civitas Thuringia.* Inde efficimus, *Landgraviatus jus etiam in Erfordiam porrigi.*
Ad propositiones respondendam est, non cavillis & convitiis, sed rerum & rationum ponderibus. Hic, dum primam aggredi deberent, nam alteram negantes infra audiemus, conclusum appetunt, lapidem mordent, non manum, quæ jecit. Fundamentum nondum motum est, eum, qui Principatum provincie, titulo universalis accepit, jus habere ad omnes provincie partes, nisi à concedente exceptas, aut alio legitimo & demonstrabili titulo liberas. Qvis movit hoc fundamentum, aut quis hoc asserto: *chaos inextricabile* in imperio metuat? anne aliter sua jura asserunt, quotquot universalis aliquo potestatis titulo gaudent: quis unquam à Rege, Archi-Ducibus, Ducibus, Landgraviis, postulavit, ut in singulas regni & provinciarum partes potestatis suæ titulum probent? Nonne omnes, qui se liberos atque exemptos, vel simpliciter, vel ex parte existimârunt, probationem ultrò susceperunt? nonne idem argumentum in superioribus & præsentibus Comitibus, in causa Magni Regis & nobilis civitatis ventilatum est? *Chaos itaq; inextricabile miscuerint,* qui legitimorum Principum universale jus, ab Imperatoribus universalibus Dominis, universalis voce & potestate quæsitum ad alienum arbitrium, ad *patientiam Archi-Episcopalem* deductum eunt, aut in singulas glebas demonstrari exigunt; cum ipsi Archi-Episcopi neq; universalem; neq; particularem titulum probent; nam hic iterum ad Oraculum anonymi confugitur, inde scilicet initia Ludovici tenuia propalantur, & inde argumentum, nobis non repugnantibus, deducitur, in Landgravi creatione excepta esse jura Moguntina minimèque extincta. Nemo enim Saxonorum Principum aut Ministrorum unquam dixit, ne in manifestis quidem bellis & dissidiis, quod instituto Landgraviatu perierit jus Moguntinum. Non periit, sed in statu ac vigore suo mansit: quale fuit ante Landgraviatum, tale fuit post Landgraviatum. *Nam valem Landgraviatum, qui florentia jura Moguntina sedis in Erfordiam extingueret,* nec Imperatorem dedisse, nec Landgravios affectasse, sed ab assertoribus fingi, manifestum est. Omnia ad eundem pulverem redeunt, quale nempe sit jus Moguntinum, si id fuit universale in Thuringia.

men
ja-

feri-
ran-
ecu-
Ar-
nen,
reat.

olim
Eo
vio-
n ha-
is o-

uni-
pro-
ionis
è, ab
auto-
dixit.

stum,
culari
Pro-
fordia
Land-
a pro-
ravis
Tha-

ringiam, quale nobis, si diis placet, figuravit Anonymus, malè consuluit rebus suis Adelbertus Archi-Episcopus, qui Landgravium creanti Imper. non opposuerit jus illud summum universalis Principatus; inde ab Ottone I. quæsitum, at quoniam nihil opposuit, qui validus tamen (ut p. 17. dicitur) fuit apud Imperatorem gratiâ, autoritate, meritis, validâ inde argumenti vi efficitur, tale jus, ne somniâsse quidem Adelbertum, nedum reservâsse aut excepisse.

Pag. 18

Sed de Landgravii creatione alios etiam, quam fabulonem Anonymum audiamus. Indicavimus suprâ, Comites, Ludovicum patrem, filium & nepotem eâ jam fuisse dignatione, ut nihil in eos sibi arrogarent civilis potestatis Moguntini. Diploma Adelberti Archi-Episcopi an. 1125. Ludovico III. datum, servatur in Chartis Reinhartsbrunnensibus, in quo *Serenissimum* vocat Comitem, & litem super advocatia illius monasterii *Episcopali & Apostolica legationis autoritate* à se diremtam refert. Iis jam opibus fuerat Ludovicus Secundus sive saltator, ut Henrico Quinto Imper. ob hæreditatem soceri sui *Ulrici*, Saxoniarum Dynastæ, cum omnibus Saxonum & Thuringorum Principibus bellum inferret, adstipulante Adelberto Moguntino, malo licet cum successu, nam & ipse Archi-Episcopus, & Ludovicus Comes ab Imp. capti fuere. Etsi verò magna erat Ludovici hujus ad pontificias partes propensio, magna etiam cum Adelberto Archi-Episcopo familiaritas, nihil tamen de jure suo in gratiam Archi-Episcopi remiserunt Thuringi, nam cum Adelbertus anno 1123. veterem de decimis in Thuringia querelam renovaret, exercitu 20000. ductu Henrici Comitis, fratris, (ut putatur) Ludovici, collecto, repulsus fuit; & ut decimarum postulato æternùm renunciaret, adactus. Solita quidem hic est oscitatio vulgarium Chronologorum, qui bis eandem rem narrant, anno 1123. & an. 1128. Semel accidisse non ambigitur, vid. *Spangenberg in Chron. Mansf. c. 216.*

Quo igitur tempore de dominatu universali Moguntino in Thuringiam nemo ne cogitavit quidem; quo pacatis rebus obierat Ludovicus Comes an. 1123. auctus antea opima soceri hæreditate; quo Lotharius Saxo huic Comitum familiæ conjunctissimus, rerum potitus est,
Prin-

Principatus in Thuringia novo titulo ornatus & institutus fuit, qui universitate nominis, universitatem potestatis aptè designaret, anno 1130.

Consideremus diploma sequenti seculo, à *Friderico Secundo Imp. Henrico Misne Marchioni* datum, vivo familiae suae ultimo *Henrico Thuringo*. Ejus haec sunt verba huc pertinentia: *considerantes avunculi tui Henrici Landgravii Thuringiae, Comitis Palatini Saxoniae, dilecti consanguinei nostri, & dilecti filii nostri Conradi Romanorum in Regem electi petitionem, &c. notum esse volumus universis, quod Tibi post mortem avunculi Tui Henrici Landgravii Thuringiae, duos Principatus suos, videlicet Landgraviam Thuringiae, & Comitiam Palatii Saxoniae, & omnia alia feuda, quae à nobis & imperio tenentur cum ipsorum pertinentiis, jure contulimus feudali &c. dat. Beneventi an. 1242. ultimo Junii.*

Hic fuit stylus veterum investiturarum, nemini rerum illius aevi perito, ignotus; quid enim esset *Landgravia* s. *Landgraviatus*, non minus clarum apertumque erat, quam quid esset **Land**/regio, & quid *Comitatus* seu jus supremæ Jurisdictionis, Imperatoris concessu exercendæ.

Nondum ea erat vanitas seculi, per vocabula nihil significantia aliena jura vel invadere, vel affectare. Vanissimus Fridericus Imper. fuerit, qui Landgraviam, i. e. regionem & jus supremæ jurisdictionis in regione Thuringorum, concederet, neque tamen intelligeret regionem, aut summam potestatem in regione, sed feuda quaedam singularia, patientiâ Moguntinâ possidenda: Quin ipse Imp. in diplomate hoc, feuda alia particulari titulo conferenda, separavit à Principatibus, qui re & nomine erant universales; addit itaq; *& omnia alia feuda*. Fuere enim talia in Thuringia, peculiari ab Imp. investiturâ conferenda, ut alibi ostendim⁹. Rectissime itaq; procedit argumentum nostrum à titulo Landgraviatus universali desumptum, qui à Lothario Imp. genero charissimo datus; à Friderico II. Imperatore Misnensi Marchioni, non sine magna beneficii gloria, in defectum prioris stirpis promissus; non nomen supervacaneum, sed rem habuit: Alioque nullum fuisset Lotharii beneficium, nulla Friderici II. benignitas. Nam prædia & ditiones particulares & proprias in Thuringia habebant Ludovicus Barbatus, & filius Ludovicus Saltator, ea quidem cum dignitate & opulentia, quam memorant Historici,

C

ne-

neq; quidquam legitur particularis domini ratione, ad Ludovicum Primum Landgravium donatione imperatoriâ pervenisse, nisi quod Dodechinus de Hermanni, & alii de Burcardi cujusdam Comitis bonis tradunt. Imò demonstrari potest, unde arces, oppida, pagos, magno numero post erectum demum Landgraviatum acquisiverint, sed Landgraviatui subiecta, extinctis nempe Comitum familiis, qui ea loca possidebant. Aliud nempe erat Principatus & *Landgravia*, ut est in diplomate, & jus investiendi provinciæ Proceres; aliud prædiorum, oppidorum, arcium possessio & titulus particularis.

A vanitate itaque titulorum, sine re, absolvendus est Conradus III. Imp. qui decem post institutum Landgraviatum annis diplomate canobio Portensi an. 1140. dato, inter Principes nominat *Ludovicum Comitem Provinciale Thuringia;* Et *Ludovicus*, qui licet à Barbato Quintus esset, dignitatis tamen principalis ab avo acquisitæ memor, Tertium se vocat, in literis Reinhartsbrunnensi Monasterio an. 1173. datis, hoc exordio: *Ego Ludovicus Tertius patientia Dei gratta dictus Princeps & Landgravius Thuringia.* In aliis documentis reperias, Comes Provincialis, Comes Regionarius, Landgravius Provinciæ Thuringiæ. Quæ vocabula nullâ ratione ad particulares ditiones & dynastias restringi possunt. Ex historicis, de Landgraviorum ortu & dignitate commentatur Sigfridus Presbyter Misnensis, aut potius antiquior aliquis, quem Sigfridus continuavit, sub Friderico nempe II. vivens, quod ex hoc ipso loco manifestum est. Anno 1140. (sunt verba epitomes Sigfridi lib. 1.) *Landgravius Thuringorum Ludovicus obiit, cujus filius ab Imperatore Conrado III. Principatum suscipit, &c.* Nota, quod Primus Ludovicus, de quo Landgravi Thuringiæ nati sunt, vocabatur Ludovicus Dedus Barbatu, & ipse descendens de genealogia Caroli Magni Imp. Et cum esset unus de Ducibus Sæviæ, præliis annihilatus inde cessit. Cum autem dudum Duces Thuringorum defecissent, idem Ludovicus suscepit Principatum dictæ terræ, quæ tunc per plures distracta & usurpata cessavit dici Ducatus. Sed usq; hodie Princeps præfata terra non Dux, sed Landgravius, quod latine sonat, Comes Provincialis appellatur. Dicitur Ludovicus edificavit castrum Wartberg in vertice montis excelsi super Civitatem Isennacum. Et ipse, & filius ejus, & filii filiorum, super sæpè dictam terram Thuringiam, à tempore sancti Henrici Imp. usq; ad tempora

para Imper. Friderici II. per sex generationes principantur. Etsi verò
hujus auctoris opinione etiam Comitum Thuringiæ dignitas universa-
lis quoddam potestatis axioma fuisse videatur, quod nos ut certum, as-
serere non ausi sumus, quamvis eò etiam faciant tradita Dodechini in
an. 1130. & Hirsingens. d. de gest. Frid. I. c. 21. Nihil tamen hoc ob-
est rationibus nostris. Possumus enim cum maxima verisimilitudine
ita ratiocinari: Quamdiù prosapia Imperatorum, qui hæreditarium
aliquod jus in Saxoniam & Thuringiam sibi tribuebant, duraverit, &
rerum potita sit, modestiam tituli & muneris, novis Thuringiæ rectori-
bus familiæ regnanti obnoxiiis, necessariam fuisse; at postquam ab ex-
cessu Henrici Quinti, Lotharius Imperator imperii fasces adeptus fue-
rit, mutatam rerum faciem, & generum novi Imperatoris Ludovicum,
potestatem ampliorem & nominis splendorem vel postulasse, vel obla-
tum accepisse. Multi sunt & inepti in recensenda magnificentia pri-
mi hujus Landgravii, manuscripti vulgati, & eorum Interpres anony-
mus: præsertim ubi duodecim Comites, tanquam ex certa formula
conquirunt, qui Landgravii provinciam regenti, & judicia suprema ex-
ercenti, assideant. Non opus est eâ diligentia: Provinciæ enim Prin-
cipatus hoc ipsum complectitur, ut primores è nobilitate, eujuscunque
familiæ aut opam, subsint Principi, decenti tamen cum gradus & ordi-
nis distinctione, nam & illis sua debetur dignitas, & in multis rebus ac-
juribus, præ cæteris inferioribus non spernenda vel libertas, vel immu-
nitas. Testimonia ab ipsis potius Proceribus provinciæ petamus, qui
rerum suarum non paulò intelligentiores fuere, quam Anonymus; Qui
adeò nullam documentorum & actorum copiam habuit, ut ne epita-
phia quidem Landgraviorum, publico tunc omnium conspectui in
Illustri Reinhartsbrunnensi Monasterio exposita, viderit. Ea enim si
vidisset, non ipse, non cæteri Thuringorum Chronici, Ludovicum II.
Landgravium anno 1149. mortuum scripsissent, cum anno 1140. obie-
rit, & ad fontem Reinhardi sepultus sit. Comites verò Thuringi, ut
dicere cœpimus, & nominatim quidem, *Bodo Stolbergensis, Ernestus &
Adolfus Gleichensis, Günther Beichlingensis, Henricus Schvartzburgic⁹,
Güntherus Mansfeldius, Ernestus Honsteinus*, in literis communi consi-
lio *Wilhelmo Duci Sax. Thuringorum Landgravio an. 1445. d. Mar-
tis post Luca* exhibitis, profitentur inter alia, *Principatum Thuringia*

inde à prima fundatione vel origine laudabiliter & splendide, magnâ copiâ egregiorum Comitatum, Dynastiarum, & nobilitatis ad Principatum pertinentium, dotatum & instructum esse, nec Principem, quicumq; rerum potitur, dignitatem potestatemq; suam rectè tueri posse, nisi ei Comes, Dynaste & nobiles ad Principatum pertinentes, fideliter obediant, atque adjumento sint. Significantius in Germanico idiomate dicitur: Das Fürstenthumb Thüringen sey gar löblich und achtbarlich mit einer trefflichen Menge redlicher Graffschafft/Herrschaft und erbarer Mannschafft/zu demselben Fürstenthumb gehörende // von Anbegin außgesetzt / gewidmet und herkommen. Item / daß ein jeglicher Fürst / der dasselbe ehrliche Fürstenthumb innen hat / und eingewinnet / könne durch keinen Weg: daß bey Fürstlicher Würdigkeit / Ehren/Macht / Furcht und Gewalt bleiben / denn durch getreuen Bestand / Hülffe / Rath und Schorsam / seiner Grafen / Herren / und erbarer Mannschafft/zum Fürstenthumb gehörend.

Hæc non ex commentis Anonymi, aut fabulosis plebejorum Scriptorum chartis exsculpta, sed ex integerrimis nobilissimisque diplomatis plenâ fide producta, dissipant, ut ventus folia, quæ contra titulum & institutionem Landgraviatus, & de beneficio Moguntino, quo creverit Ludovicus Barbatus, ex unius homuncionis incircumspectis narratiunculis, ad opprobrium imperatoris munificentis, & extenuationem heroicorum gestorum, quibus Principatus in tota Germania celeberrimus & venerandus, crevit & stetit, in verecundè declamitantur.

Pag. 18.

Ex murorum Erfurtensum, à Landgravio Thuringiæ destructorum ruinis, non Saxonieis, sed Moguntinis, scrupuli objiciuntur, ab iis, qui fatentur, muros à Landgravio, approbante Imperatore Friderico I. dejectos; quid enim in novo Principatu illustrius atque efficacius gerere potuisset Provinciæ Princeps, quam ut maximæ & validissimæ Urbis, sibi & Imperatori rebellantis, muros dejiceret. Mira verò est argumentatio Moguntina, ut ex pœna in rebellantes exercita, dissolutio aut negatio supremæ potestatis deducatur. Alibi ex multa in Erfur-

ten.

tenses, quanquam non probatâ, summum jus Moguntinis asseri audie-
mus p. 46.

Cæterum historiam discordiæ ex autore suo nobis propinant *cap. 19. de histor. Landgrav.* Jungatur huic Anonymus alius, & is Erfur-
tensis, Lamberti Schafnaburgii *in editione Pistorii Wecheliana an. 1584.*
additionator, qui in anno 1175. litis exordium inter Principem & Civi-
tatem his verbis refert: *Eodem anno Erfordenses consilio & auxilio Co-
mitis Ervini & Comitis Henrici, quodam temerario ausu, Domino suo
Ludovico inlyto provinciali sese opponunt, & quæ sequuntur.*

Ad ejusmodi ausus referant etiam Moguntini, quæ ex c. 27. hi-
storici sui allegant, ex quibus, non est, quod notabiliter observent, quod
& Episcopus & Landgravius villas in Thuringia & Hassia habuerit.
Habuere enim & Abbates *infinitas*, ut ait Lambertus, nec paucas Co-
mites, neque ullus est Principatus, in quo omnes villæ, omnia prædia
sint Principis, satis est, omnes Principatus ejusque legibus supremis sub-
jici. De reparatis verò muris Erfurtensibus à Christiano Archi-Epi-
scop: eatenus faciles erimus, ut credamus, intercedente illo & Imp^m.
& Landgravium placatum, multumque non pecuniæ quidem aut prin-
cipalis autoritatis, sed Episcopalis curæ & procurationis impensum, ut
Civitas nobilis è ruinis suis resurgeret. Fuerat autem Christianus il-
le Friderici Imper. Cancellarius, & Archi-Episcopatu adversus Ponti-
ficis Roman. fulmina auctus, Gibellinas partes constanter sectabatur,
undè credibile non est, Landgravium Imp. fororium, amisisse jus Prin-
cipis in reparandis muris sub Archi-Episcop. amico, quod tenuerat in
destruendis sub æmulo. De documento, quod assertur, nihil attinet
dicere, antequam integrum & authenticum producat; cum enim
Langium in multorum manibus versantem mutilare non sint veriti, vix
sperandum est, documentum hoc integrè fuisse productum. In quo
tamen *Municipii* vox neminem morari debet, tanquam à Cicerone,
Urbi aut Coloniae oppositum. Fuit illius seculi lingua, cum etiam
imperiales Civitates *Municipia & Villa* dicerentur. De militibus,
i. e. vasallis nobilibus introductis, supra etiam dictum est. Nihil in-
de ad jus Principis concluditur. Nam & Abbates & Comites Thu-
ringi, milites ejusmodi plurimos habuere, sed sub auspiciis Landgravii
militantes.

Indicio hæc sunt, non magis notabilem fore seriem illam longam historiae, cuius spem faciunt, p. 19. de *evidentissimis nempe & perpetuis documentis* exercitæ Moguntinæ Jurisdictionis; unde scilicet *unicè* probari debeat superioritas territorialis, non è situ & loco. Si *unicè ex Jurisdictione* probatur superioritas, nã illi innumeros nobis Principes brevi producerint, intra unius pagi macerias *unicè* (ut ita cum Monachis loqui liceat) *principantes*. Situm & locum in parte provincie facere præsumtionem, pro potestate in universam provinciam, titulo solenni quæsitam, & transferre onus probandi exemptionem, qui negat, is sanè novo & inaudito exemplo negat, contra rationem & omnium provinciarum praxin manifestam: imò contra hanc ipsam assertionem, cui, si affectatam illam universalem Thuringiæ donationem subducas, nihil habet, in quo nitatur ad efficiendum Principatum Erfordie.

Ad pag. 19.

An Erfurtenses non modum imperii, sed imperium ipsum Landgraviis negaverint, pendet à quæstione primaria de ipso imperio, & de titulo Principis territorialis sive provincialis? Nunquam negarunt Erfurtenses (nisi quando in turbis calamo & voce Moguntinorum Ministrorum uterentur) titulum Principis ex antiquo more deberi Landgraviis, non ausi forent sapientissimi & gravissimi Principes, Fridericus Elector & frater anno 1509. antiquum morem objicere plebi factiosa, & impudenter grassanti; non exules tam confidenter id essent testati, nisi actorum fide convinci posse civitatem credidissent, titulum hunc ab antiquissimo tempore, & à veterum Landgraviorum seculo Principibus deberi. Plus enim juris in Thuringia sibi arrogare non poterat familia Saxonica, quam quantum habuerant Landgravii. Stat itaque pro vetusto tituli usu firma præsumtio, juvant privilegia Alberti Landgravii, in quibus veterum Landgraviorum, proximo ante se seculo defunctorum, acta sibi non ignota, suis exæquat. Quam nullo autem colore objiciatur, titulum eò tantum tempore tributum esse, quando seditionibus & turbis Erfordie laboratum est, non tantum ex ipsorum Principum & Procerum Civitatis, in turbis quidem, sed de more antiquo

quo edita professione apparet, sed produci possunt ex unius aulae Saxo-
nicæ Archivo plurimæ Erfurtenſium literæ, quibus certissima fides fiat,
titulum non tantum *in turbis*, sed *extra turbas*, sponte & significanter &
deliberato datum esse. Ut annos illos à 1509. ad 1516. prætereamus,
tanquam controversos, extant ante & post illud tempus literæ, eundem
titulum amplissime professæ, omnes in membranis scriptæ anno 1508.
anno 1517. 1521. 1525. 1526. 1528. 1530. 1531. 1533. (quo anno Alber-
to Archi-Episcop. cum Civitate optime convenit, ut is huic etiam con-
tra Johan. Fridericum Electorem Saxonie adisteret) 1536. 1537. 1539.
1540. 1541. 1542. imò & 1581. Neque aliò tendunt his præsertim
professionibus juncti articuli, in libello Erfurtenſium anno 1605. Ca-
meræ imperiali oblato, & typis vulgato n. 263. 264. 265. ubi ita sta-
tuunt: Wahr und ganz Reichs-kündig / daß die Stadt Erffurth keines
weges in Churfürstl. Mainz. Obrigkeit oder Bercirck / sondern viel Weil-
weges davon im Lande zu Thüringen gelegen. Ganz ohne aber / daß
im Lande zu Thüringen das Stifft Mainz sich im wenigsten Landes-
Fürstl. Obrigkeit anzunassen / oder zu rühmen habe / sondern vielmehr
wahr / daß das löbliche Chur- und Fürstliche Haus zu Sachsen mit der
Land-Gravschafft Thüringen vom H. Röm. Reich beliehen sey; Wahr /
daß auch vor diesem und noch An. 1454. das Haus Sachsen der Main-
zischen Schutz-Herren gewesen sey.

De sensu verò vocis disputatum esse, nos quoque agnoscimus, qui
facemur; de modo imperii, non de ipso imperio quælitum; hoc unâ at-
que alterâ Erfurtenſium professione probatum damus. Cùm anno
1532. novæ inter Electorem Johan. Frider. & Civitatem controversiæ
orientur, quæ dein maximam partem transactione anno 1533. compo-
sitæ fuere, plurimis vicibus dictâ die, inter Saxonicos & Erfurtenſes de-
legatos actum est, & porrecti invicem libelli, capita controversa expli-
cantes; in illis Erfurtenſes his utuntur verbis, quibus accusationi Saxo-
nicæ, tanquam Principum dignitati & potestati adversarentur, respon-
derunt: **Daß ein Rath auff gewisse masse / Inhalts der Ver-
gränge / dem Hause Sachsen interworffen seye.** Quid aliud
est, imperium ipsum non diffiteri, modum imperii ad pacta & certos fi-
nes restringere velle. Deinde anno 1541. edicto Johannis Friderici
Electoris & fratris, ad conventum provinciæ & præstandas collectas

Turs.

Furcicas citati, binis literis, prioribus quidem Jovis post Severi anno 1541. alteris Sabbatho post Fabiani & Sebastiani datis, illam ipsam distinctionem diligenter inculcârunt. Pr mo enim narrantes se citari, ut S. Chur. und Fürstl. Gn. Landsassen/Lehen. und Schutz. Verwandte/ regerunt, sie seyen dem Löblichen Hause zu Sachsen/ Inhalts/ und nach Aufweisung auffgerichteter Erb. Verträge/ verwandt/ edicti formam ajunt eandem sibi transmissam, quâ citati sunt. S. Chur. und Fürstl. Gn. eigene Unterthanen/tales se non esse, præstituros autem, quæ deberent, secundum formam des Leipziger Vertrags/ (notari hoc perimus adversus calumniam infra detegendam) diuwell der Fall des Reichs/ Noth/ Rettung der Lande und Christenheit angehet und belanget/ wie sich die Landschafften des Hochlöblichen Hauses zu Sachsen anlegen/ wollen wir Uns auch/ von wegen der Sächsischen Lehen/ anlegen/ darauff auch das/ neben den Landschafften/ thun/ das sich eignet und gebühret/ bitten darauff/ Ihre Chur. und Fürstl. Gn. wollen solch unterthäniges Erbieten gnädiglich annehmen/ Unsere gnädigste und gnädige Lans. Des. Fürsten/ Lehen. und Schutz. Herren seyn und bleiben. Eadem repetunt alteris literis, nisi quod addunt de comparitione in conventu ordinum, quæ iterum urgebatur, litem coram arbitris pendere. Qui igitur in medio contentionum æstu, Principes vocant Landes. Fürsten, eorumque gratiam perpetuam precantur, qui se obligatos dicunt, sed secundum pacta, ane illi imperium ipsum, an modum imperii impugnant?

Ad pag. 20. & 21.

Nihil ergo proficitur cavillo p. 20. de titulo tantum in turbis & à novatoribus dato (nam de cassatione Cæsarea alibi dicendum est) nihil etiam immani illo & superbo contemptu Landgraviatus Thuringici. cujus axioma & dignam Cæsareis investituris efficaciam, *audebunt ministri Saxonici in Germania, ad Germania ordines consequentissima consequentia, ad firmanda Principum suorum in Thuringia jura allegare, Pudorem & reverentiam eorum desiderant: qui adversus Serenissimorum Saxonie Principum jura vetustissima, contra omnem imperii morem, & sacratas leges (verba p. 20.) per inconsequentes fabulas, novum in aliena provincia Principatum exædificare satagunt.*

Ad

Certissimâ fide rerum constare ajunt, familias Comitum Thuringorum immemoriali ante Landgravios tempore, Moguntinam Jurisdictionem agnovisse. Unde hæc fides, nisi fabulæ prius fides non certissima, sed probabilis tantum concilietur, de omni Thuringia & Hassia, S. Martino, cum pleno jure & dominio donatâ? Thesin tamen ingentem, & universalem, particulari exemplo Gleichensium Comitum, per notabilem novæ Philosophiæ artem, stabilitum eunt. Istos enim Comites advocatiam Erfurtensem ab Archi-Episcopis tenuisse dicunt, & amisisse an. 1234. Sed prius respondendum fuisset Erfurtensibus, diplomata Comitum producentibus, quibus manifestum fit, jus advocatiæ in allodio Comitum longo post tempore, retentum, & demum Civitati venditum fuisse. Hoc obice amoto, quærendum porro foret, an propter advocatiam hanc, aut aliquas ejus partes, etsi jure feudi à sede Moguntina recognoscerentur, Comites ipsi fuerint subditi Moguntini. Quis enim hoc inde effecerit? cum demonstrari præterea possit, Comites Gleichenses in feudis Moguntinis, quæ ad an. usque 1632. tenuerunt, agnovisse per omnia jus superioritatis Saxonica. Et Fiscus imperialis procurator, instructus artibus Moguntinis, cum eo nomine litem intentaret Serenissimæ familiæ Saxonicae, nunquam asseruit, Comites Gleichenses Moguntinæ sedi subditos fuisse, sed libertatem imperialem illis vindicat. Qualis igitur fuit argumentatio assertorū, talis etiam est illatio: argumentatio fuit, Comites Thuringia agnoverunt Jurisdictionem Moguntinam; quia Gleichenses Comites tenuerunt ab Archi-Episcopo Advocatiam Erfurtensem, (quanquam hoc ne probatum quidem est.) Illatio est, ergo omnes vident longè potentiorum titulum Archi-Episcopi in omnem sine exceptione Thuringiam esse, quam Landgraviorum, & quæ sequuntur ejusdem commatis.

Nobis certissimâ fide constat, & certissimæ probationis specimen supra ad pag. 17. dedimus, quæ fuerit ab origine Comitum omnium in Thuringia erga Principem suum reverentia. Quid respondebunt ad Moguntinam investituram Gleichensi familiæ de castro Blanckenhayn, dato, in quo aperturam castri sibi reservat Archi-Episcopus investiens, contra omnes, sed excepto Landgravio Thuringia; hunc illi nodum solvant, legitimâ responsione, non gladio, ut nuper admodum tentârunt,

D

omis.

omissa in novâ investitura vasalli à se delecti, clausulâ illa, summi imperii Saxonici in Thuringia manifestissimâ indice.

Ad eandem pag. 22.

Conciliatio à nobis exigitur, quomodo conveniat, esse aliquem statum immediatum imperii, & esse simul & ejusdem scilicet fundi aut ditionis nomine (nam hoc addendum erat) Landsassium: sed defungi hâc molestiâ possumus, qui hæc non commisimus inter se, neque negavimus, sed nominavimus etiam in Thuringia *Civitates duas imperiales*. Id verò statuimus: adeò universale fuisse jus Landgraviatûs Thuringici ex Cæsarum & Principum intentione, ut etiam imperiales Urbes cum subjectione omnimodâ non possent, obtentâ tamen protectione, Landgraviorum jus aliquod agnoverint. Ecquid hic peccatum est? aut contradictione implicitum? Quod si dicamus, etiam imperialia in Thuringia feuda, non prorsus eximi à Landgraviatu, certè nihil novi dixerimus, sed id, quod occasione litis inter Serenissim. Elect. & Duces Saxonie. & Comites Schwartzburgicos, in Camera imperiali versantis allegatum est publicè, Principum nomine, allegatum etiam à Comitibus Gleichenibus adversus Fiscî Procuratorem. Neque ignotum est Juris & moris Germanici peritis, eadem etiam ab aliis magnarum regionum Principibus asseri. Quid enim impediât, si in regione aliqua castrum quoddam, vel solum, vel cum aliquibus vicis, feudi nomine ab Imperio concedatur, ut nihilominus in iis, quæ ad universalem provinciæ quietem, & communem utilitatem spectant, legis Principis provinciæ sequatur? Quis ferat particularis ejusmodi loci dominum separatim ea molientem, quibus provincia turbetur, sive armis id fiat, sive suspectis munitionibus, sive permissiõe aut prohibitione eorum, quæ in provincia contrarium in modum prohibentur, aut permittuntur? In Hassia, familia nobilium non incelebris nominari potest, castrum pagosque ab Imperio recognoscentium, qui tamen plenam Landgravii Jurisdictionem agnoscunt. In Thuringia *Orlamundani Comites* fuere admodum potentes, qui Vinariam aliaque oppida plurima possidebant, feudi imperialis nomine. Eo titulo superbi plurimas molestias creârunt Landgraviis, juncti non semel & Archi-Episcopo Moguntino & Erfurtensibus. At nihilominus Landgravii illos Comites
pro

pro Landsassis habebant, & ut tales coërcebant, eòusqve, ut tandem à Carolo IV. ut probatur diplomate *an. 1350. XII. Calend. Mart.* Budisfini dato, feudi illius jus Principibus Thuringiæ *Friderico, Balthasaro, Ludovico & Wilhelmo*, profus resignaretur, volentibus Comitibus, qui, ut narrat Imperator, *sub umbra alarum magnificorum* (quos diximus) *Principum, & Friderici patris illorum, ob spem specialis protectionis se ac suabona, spontanea & libera voluntate subjecerint gubernationi & ordinationi Principum predictorum, sperantes, conditionem suam hac in parte non deteriozem, sed meliorem facere.* Paulò antè *Fridericus Marchio*, quem *Severum* cognominant, istorum, quos nominavimus, quatuor fratrum parens, cum Comitibus *Henrico Honsteinensi, Sondershusæ Domino*, (des *Sondershausen* ist/sunt verba diplomatis, ejusqve loci quædam pars, *Moguntinum* est feudum) *Günthero Schwartzburgico*, des *Arnstadt* ist / *Günthero & Henrico* ex eadem familia, derer *Schwartzburg* ist / (feudum Imperii indubium) litem habuit ex variis capitibus. Eorum nomine Imperatoris *Ludovici Bavari* arbitrio staturos se promisere. Pronunciavit Imperator, à Comitibus renunciandum esse foederibus contra Landgravium initis, Landgravium verò protegere illos debere contra omnes, (sol sie hinwieder schirmen und versprechen zu allen ihren Rechten gegen allermänniglich) Deinde de novis ædificationibus & munitiõibus ita definit: **Was auch der von Schwartzburg/des Arnstadt ist/Neues baues/gesthan hat/wo der gelegen/oder wie der genant ist/darumb er unsers Suhns/des vorgevanten Marggrafen/Brief hat/da sol er by bliben/aber umb das nuw Hus/das die von Schwartzburg/der Schwartzburg ist/gebuwet haben/da sullen wir unser erbar Botschafft zusenden/und ist/das es unserm Sohn ungeschädlich ist/so sullen wir sie dabyn lassen bliben/und sull ihn kein Leid daran geschehen: Ist aber/das es ihm schädlich ist/und Schaden bringen mag/so sullen wir es heissen brechen/sie mögen es dann mit unserm Sohn übertragen/das er sie dabyn lasset bliben. *Och umb den Marck/den der von Hohnstein* (qui supra, *Sondershusæ Dominus*) *umbbauen/und mit einem***

Zaun und bekleibten Wand umbfangen hat / ist / daß er also
vorher kommen und gebracht ist / so sull er also bliben / Sey aber
das nicht / so sull man ihn brechen / hat aber er den Zaun oder
gekleybte Wand gehöcht / oder mit dem Bau gebessert / das sull
ihm unschädlich seyn / also / daß derselbe Bau also blibe / und
nicht gebessert werde / ohne mit unsers Suhns Willen. Umb
das Hus / das er ob einer Hoffstatt uf die andere gefuhrt und
gebawet hat / mag er das mit unsers Suhns Willen da behal-
ten / so sull er es lassen stehen / Ist aber das nicht / so sull er es
wieder abbrechen / und bauen an die Statt / da es vor gewesen
ist / ob er wil / und nicht vester noch besser machen / denn es vor
gewesen ist / 26. Datum zu Franckfurth / Donnerstags nach Mattheis
1338.

Illustria hæc sunt & certissima provincialis potestatis documen-
ta, apud omnes æquos Judices fidem dictis nostris factura. Illi etiam
animadvertent, quàm cautè & distinctè Imper. Ludovicus sententiam
hanc suam pro diversitate locorum, super quibus controvertebatur, con-
ceperit. Nam de feudis non imperialibus, *Arnstadio & Sunderhusa,*
purè condemnavit Comites ad impetrandam vel concessionem Principis
vel probandam vetustam observantiam. In feudo verò Imperii ad Prin-
cipis & Provincia utilitatem & quietem communem respexit, permissu-
rus munitiones in feudis illis, quæ Principi non adversarentur, etsi his
non consentiret, cum in cæteris arbitrio ejus standum esset. Et hoc
exemplo etiam Episcopi, Saxones & Thuringi, tum Abbates in Imperio
primarii & principalis tituli honore insignes, Landgraviorum supre-
mum Principatum super ea, quæ in Thuringia habuere, multis modis
agnoverunt; sola Moguntia, aut novè potius Moguntini Juris, *inven-*
siosè (ut phrasi eorum p. 22. hoc pronunciemus) *extensi* assertores, ad
particularem in prædia & oppida sua Jurisdictionem, Principes Saxo-
nes & Cattoi relegant, ipsi novo & insolenti in universam Thuringiam
& Hassiam titulo, autoritate anonymi sui, superbientes. Obliti tamen,
quod Erfurtenses suprà allegati objecerant, à Moguntinis olim, quic-
quid habent in Thuringia, protectioni Wilhelmi Saxonie Ducis
con-

commissum. Ne id negent, aut quæ solent modestiâ, mentiri nos dicant, pactorum formulæ produci possunt, quibus id probetur. Diploma incipiens: *wir Johann Engenberger Dechant/und das Capitel des Thun-Stiftes zu Mainz/Datum est Sabbath. post Trinitatis 1459. & Wilhelmus in Aponia ab Erfurtensibus in Camera producta an. 1462. octava Joh. Evangelist. profitetur, sibi, Ditheri Archi-Episc. jussu, per provisorum Johannem ab Allenblum / solutos esse protectionis causâ, Verspruch, Geld 1300. florenos annuos.*

Pag. 23.

Adeo non desperandum est illis, qui jus Principis à potissimis nobilissimisque partibus definiunt, ut desperare potius jubendi sint omnes, qui jus Principatus ex Jurisdictione *unicè* (quod grande sophos p. 19. intelleximus) deducunt; aut omnia jura & regalia, quæ Principes in oppida & prædia sua, über eigene Ampts, Unterthanen und Cammer-Güter exercent, etiam ad status provinciarum, immunitatibus & exemptionibus variis gaudentes, aut certâ pactorum lege sub imperio habendos, extendunt. Quot hi Principes expellent? quot egregias familias, urbesque non spernendas moderatâ subjectione quietè regendas, in servitutem omnimodæ suæ detrudent, aut in rebellionem adigent? dicerent aliquid, si non alia esset summa potestas in Imperio, in quam incidunt, & à qua pendent ea, quæ non pendent, aut quæ abdicantur à Principe territorii. Ita fit, ut nihil independens aut vacuum sit. Nam aut jura illa emanant à concessu Principis, eiqve etiam post concessionem subordinantur, quod fieri solet in iis, quæ per modum gratiosi privilegii conceduntur; aut etiam non emanant, neque subordinantur, vel quia in ipsa Principatus territorialis erectione excepta sunt, vel quia non tam per modum privilegii atque concessionis, quam pacto abdicativo, ad provinciarum subditos transferuntur, aut etiam diutinâ possessione, quæ titulo acquisitionis æquipollet, quæruntur: atque eo modo hi subordinantur supremæ Imperatoris ipsius potestati. Hanc veram & accuratam sententiam qui deserit, is cas, quas diximus turbas, movebit, & exterminabit Germaniâ exemptionum subditorum genus, qui eâ parte, quæ exempti sunt, non sunt subditi, aut eatenus tales esse desinunt. Animadvertit hoc, ut alios omittamus, *Referens in Erfurtensium causâ de collectis Turcicis, ut contrarius civitati, apud Meichsne-*

D 3

rum

rum Tom. 2. lib. 1. n. 20. ubi ait: *Illi verò subditi, qui, quo ad quaedam exempti sunt, eatenus, quatenus sunt exempti, non sunt subditi, sed ipso jure liberi, idq; vel ex proprietate vocabuli constare videtur. Nam in simili actio exempta tùm demùm dicitur, si actor agere posse desit, non item si ex privilegio vel per exceptionem reddatur actio inutilis & inefficax, l. 26. 5. ait prator vers. actio exempta, ex quibus caus. majores, l. 12. ad Sc. Turpilian. &c.* Infectari itaq; nos desinant, quod hîc & infrà statuimus cum politicis præstantissimis, & ipsis Cameræ Adfessoribus, subditos nempè in iis, quæ non habent per privilegium & gratiam concedentis, suo jure sese tueri posse, absq; rebellionis crimine. Tutio autem hæc in Germania tantò est commodior, cum Imperator & imperium eam in se recipiat, sive generatim, quoniam natura negotii id semper exigit: sive speciatim, datis confirmationum singularisque protectionis diplomatib⁹; quæ ab omnibus Imperatoribus impetrârunt Erfurtenfes. Nam quod Cæsareas illas concessiones & promissiones tantùm privilegiis Moguntinis inniti ajunt, nemo crediderit, & infrà refutabitur, cum simul ostendemus, quomodò hæc exemptio in cæteris non obstet Juri Landgraviatus.

Ad pag. 23.

Affectata est subtilitas de voce hæreditarii Principis sophisticantium: quam, etsi significatu literæ opponi possit ei, quod datur jure non hæreditario, sed ad vitæ vel functionis tempus: nos tamen hoc modo non opposuimus, nec, ut id faceremus, causa fuit; ad usum vocabuli respectum est, ut in sequentibus commodiori loco dicetur.

Pag. 24.

Historiam magno consensu demonstrare, ex institutione Landgraviatus, nihil juris Landgravis in Erfordiam collatum, imò potius præclusum esse, & Landgravios insignia loca Thuringia, feudi nomine à sede Moguntina recognovisse, & jurisdictionem secularem inde ab Ottone Magno jure Principis possessam: Iterum iterumq; hîc post tot assertiones denuò asseri, audimus, demonstrari minimè. Et quis metuat, ut demonstret grandia illa & horrifona, de jure Principis ab Ottone Magno quæsitæ, qui in demonstrandis feudis, ad Landgravios à sede Mogunti-

na

na profectis, diplomatum & investiturarum loco, *librum quendam viridem* Erfurtensem, nullius, ut ipsi Erfurtenses non semel monuere, auctor tatis allegant. vid. *salvationem* 1647. in documento n. 9. hinc verò nihil prorsus ad eam investituram probandam afferunt.

Ad pag. 24. 25.

Si vacasset, de veterum judiciorum ratione philosophari, quod tanquam ab otiosis hinc exigunt, potuisset id fieri nullo cum damno causæ nostræ. Ei enim non officit, si concesserimus, fuisse etiam antiquitus, ut in aliis Germaniæ locis, ita & Erfordiæ Jurisdictionem Episcopi & spirituales; & successu temporis etiam seculares: fuisse Comitum, fuisse vice-Comitum sive vice-Dominorum judicia, atque hæc omnia in juramento populari Erfurtensi distinctim, etiam hodiè enumerari, nihil tamen per judicia illa decedere potestati Ducis vel Landgravi, sed judicium ejus supremum & provinciale, quod ad pacem provinciæ spectat, & in eos, qui ordinariis judiciis coerceri non possunt, competit, confirmari potius, quam tolli. Itaque gratis dicitur, provincialia judicia pactitia fuisse, & rectè recusata ab Erfurtensibus. Quamdiu non est demonstratum, quod hinc, ne qua pagina asserto magnifico careat, iterum ingeminatur, jus Moguntini Principatus; tamdiu resultabunt in assertores criminationes suæ, hic potissimum impotenter congestæ, ubi etiam aliud specimen Scholæ suæ, quam describunt, cujusque infamiâ immerentes alios frustra aspergunt, exhibent; acutis scilicet interrogationibus p. 25. urgentes responsum minimè debitum, ab eo, qui non unam tantum litium inter Principes & Provinciales causam, de qua disputant, Juris nempe Justiniani in Germaniam introductionem, sed plures retulit:

De judiciis provincialibus, quod pactitia non fuerint, suâ naturâ, etsi pacto aliquando confirmarentur, argumentum ex eo sumant, quod Erfurtenses judicium illud declinantes, non de pacto, sed de privilegio imperatorio exceperunt. Constat id multis documentis, præcipuè autem ex fœdere Civitatis cum Johanne Lucelburg. Archi-Episcopo an. 1372. inito, ubi & ipse aureæ bullæ dispositionem, & Civitas speciales Imperatorum gratias & confirmationes, adversus Jurisdictionem Landgravi des Land, Gerichts/oder der vier Stülte/allegat. Egregiè verò &
so.

solidè hanc glossam destruit diploma reconciliationis & protectionis
Friderici Thuringiæ Landgravii, Erfurtensibus post bellum an. 1309.
datum, & ab ipsis cum libello suo correcto in Camera Imperiali 1608.
sub num. 73. productum; in eo profitetur: *Das wir aller Werrin/
und aller Sache/und aller Brüche/die wir haben oder gehabt
haben/legen der Stadt/ und legen den Bürgern zu Erfurt/
Armen und Reichen/ uns mit ihnen gütlich und gänglich vers
ühnet und gerichtet haben/ also / das wir die Stadt und sie in
unsern sonderlichen Beschirm nehmen / und sie vertheidigen
und beschirmen sollen zu ihrem Rechte ohne Argeliste; Vers
prechen auch und gönnen ihnen das von sonderlicher Gnaden
und Freundschaft / das niemand sol die Stadt oder die Bürz
ger sonderlich oder gemeiniglich beklagen umb keiner Hand. Sas
che/ vor frembden Gerichten / es sey dann / das dem Kläger in
der Stadt zu Erfurth Rechtens sey gebrochen / denn so sollen
wir desselben Richter seyn/ &c. Dat. Veneris post Margarethæ An.
1310.*

*En confessos accepto & allegato diplomate Erfurtenses, non so-
lùm Imperatorum, sed & Landgraviorum gratiâ se fori privilegio uti,
& eos, qui ordinario judicio stare nolint, Landgravio judicandos relinqui,
inviçto ad universalis potestatis provincialis in casu denegatæ justitiæ,
exercendæ, argumentum, extra quam nihilo magis ad Landgravium illa
cura pertinisset, quàm ad alios provinciæ status. Consulant etiam
autorem suum de histor. Landgrav. c. 84. ubi narrat, quomodò anno
1309. Fridericus Landgravius Erfurtenses ad tribunal provinciæ cita-
verit, & refractarios magnâ pecuniæ summâ multaverit, unde recon-
ciliationis hujus anno 1310. vim & temperamentum facillè animadver-
tent. Inspiciant etiam constitutiones vom Land-Frieden in Thüringen
anno demùm 1338. & 1372. secutas, longè his, quæ allegavimus actis,
recentiores.*

Pag 26.27.

*Jus conductûs publici, des hohen Strassen-Geleits und Leib-Ge-
leits præcipuum & evidens provincialis potestatis in Thuringia signum &*

& emolumentum, quàm contemtim elevent, quàm contra omne jus fasque infirmatum destructumque cupiant, omnibus patescit, ut omnino, si per hos stet Interpretes, nihil reliqui-futurum sit de regalibus suis, Principibus Thuringiæ: cum hoc tam manifestum, & palam, per tot secula in provincia, & in ipsa Erfordia, suspensis serenissimæ domûs insignibus, constitutoque cum ministris pluribus conductus præfecto, exercitum jus, tam protervè impetatur. Et primò cramben centies coctam obtrudunt, de provincia Thuringiæ non Saxonica, sed alienâ & Moguntinâ. Ajunt enim, si probatum sit, Saxoniae Duces habere conductus publici jura, per loca quædam ditionis Moguntinæ, non sequi inde superioritatem territorialem, cum etiam ex pacto in territorio seu provincia aliena nancisci quis possit jus conducendi. Quæ sit hæc vercundia, provinciam veris Dominis alienam facere, sibi asserere, & pacti probandi onus imponere Principibus in suâ, non in aliena provincia jus belli & comitatus, & viarum publicarum tutelam exercentibus, judicet Germania! Addunt, conducendi jus, etiam mediatis civitatibus competere posse, exemplo esse Moguntiam & Erfordiam, utramque ad conducendos Electores, ad comitia Imperatoris creandi proficiscentes, in ipsa aureæ Bullæ constitutione designatam. Hic disquirere non vacat, quo loco habuerit Carolus IV. Imp. illas civitates: Erfurtenses certè non unâ ratione, ut diplomata ejus ostendunt, ita respexit, ut dubitare liceat, an mediata Civitatis æstimatione apud eum fuerit. Facile viderint omnes, jus illud conducendi, sive potiùs hospitio liberali, & tutò excipiendi, Electores Francofurtum proficiscentes, aliud esse, quàm illud, de quo agimus, neque extra casum illum extendendum. Quemadmodum nec provincialis conductus juribus obest, quando Principes alii, à Senatu Erfurtensi, turbarum præcipuè tempore, intra civitatem honorificè recepti fuere. Obest autem plurimum omnimoda Moguntinæ, cui, si unquam extitisset, & cura illa & sumtus, optimo maximo jure incumberet.

Sed audiamus jam incusantes *novitium stratagema*, (verba p. 27.) *ex certis ipso jure, incerta per audaciam faciendi. & facti neq, satis probati titulos, pro jure venditandi, specimen improprietatis sui in seipsis notabile daturos.*

Nam primò jus salvi conductus, quod judices reis dare solent,

E

dis

die Sicherung und Geleit für Gerichte/ *scientes prudentesque confun-*
dunt cum jure viae regiae, sive conductus publici provincialis, armata
manu, quoties opus est, expediendi, atque sic titulum pro titulo surro-
gant, & pro jure certo aliud impertinens supponunt. Judicalem illum
salvum conductum, & tribunal in urbe Moguntinum, & Senatus dare
solet, exemplo omnium judicium. In Recessu etiam Cæsareæ Commis.
anno 1650. de eo in hunc modum statuitur & transigitur. Weil we-
gen Ertheilung sicheren Geleits zu criminal-Fällen etliche differentien
vorgefallen/ als hat zu deren Hinlegung die Churfürstl. Mainkf. Gesand-
schafft sich dahin erkläret/ daß des Erz-Stifts Gerichte das sicher Geleit
zu ordentlicher Ausführung des Rechts/ wie solches von ihnen ante mo-
tus verübet / der Rath aber vor Gewalt/ Inhalts concordatorum und
hergebrachter massen/ zu ertheilen frey verbleiben sol/worbey denn nach dem-
mal der Rath solche Erklärung acceptiret/ die Commission es auch be-
wenden lassen.

Deinde etiam *facti non probati titulos pro jure venditant.* Nam
quæ in seditione scripsere Erfurtenses, conductum Saxonie tantum
ad vias extra urbem, und nicht gar an die Thor/i. e. an die Schlag-Bäu-
me/restringentes; quæque eo exemplo egisse dicuntur, (quod tamen
probatum non est, & ex actis Saxonie refutatu facile.) Ex iis jus fa-
ciunt, tantò quidem intolerabilius, quantò evidentius ipsis obstas trans-
actio inter Electorem Saxonem & Erfurtenses anno 1533. ut sæpè di-
ctum est, ab Alberto Cardinali Moguntino, procurata, in cujus capite
primo hæc sunt ipsius Alberti & Georgii Saxonie Ducis verba: Daß
die von Erffurth gedachte unsers Herrn Dheimen Bruders und Bet-
tern/(des Churfürsten zu Sachsen) auch Seiner liebe Bruder und Nach-
kommende / Geleits-Leute und Vorreuter / wie von Alters in die Stadt
Erffurth/bis für die Herberge/auch dardurch und daraus vorzureiten nicht
verhindern sollen / hi:wiederumb sol ein Churfürst zu Sachsen / und dero-
selben Erben / die von Erffurt an der Empfahung der hohen Standes-
Personen auch nicht hindern / und sie reiten lassen / wie vor Alters; Sol
auch einem Erz-Bischoff zu Mainz/und denen von Erffurth/die Verglei-
eund und Versicherung in Erffurth / (de quo jure paulò antè diximus)
wie vor Alters herkommen/bleiben.

Plana hæc sunt & dilucida, plurimis nota, typis quippe vulgata;
Ubi

Ubi igitur pedem figet inanis illa, de via regia, & in domum aut civitatem alicujus incurrente commentatio? Erfurtenses quidem post annum 1562. de explicatione vocis **Vorreiten**/insolenter controvertere coeperunt. Nam ad id usque tempus Praefectus conductus Saxonici, scipionem album erecto brachio praefrens, & appensa insignia Saxonica gestans, iter facientes illustres, aliosque, qui id cuperent per Urbem in hospitium, in curiam, etiam in Archi-Episcopi aedes, & abeuntes inde praebat. Sed postmodum ad concursum effrenis plebeculae, & molestas contradictiones vitandas, Augustus Sax. Elector, inter caeteros Saxoniae Principes & Civitatem an. 1583. intercessit, & formam, quae in excipiendis deducendisque hospitibus servari ad tempus deberet, praescripsit. Sed nihil ideo neque juri Principum decedit, neque Moguntinis accrescit: qui tamen hanc persuasum nobis cupiunt, tutelam Moguntinae Jurisdictionis omnia intra urbem tuta praestari: ubi nisi Senatus manu forti tutelam praestet, ne ipsi quidem duo aut tres judices Moguntini totidemque apparitores, in levissimo quovis motu tuti forent.

Etiam si vero gravis est merito Saxoniae Principibus, & intoleranda haec insolentia, certa & liquida jura sua hunc in modum argumentationum frivolarum cavillo extenuari audientium, gravius tamen longe est, sensisse proximis mensibus, idem jus vi & facto infringi, cum irrudente in Thuringiam militum quorundam & rusticorum manu, Erfurtenses scilicet subacturam, nihil aliud actum est, quam ut in via regia sub Saxonici conductus securitate commeantes & vita & mercibus spoliarentur, quod, etsi constat injussu Emi. Electoris Archi-Episcop. Moguntini commissum esse, eo tamen tendit, ut posthac per totam Germaniam cum contemptu Saxonici nominis vulgetur, in media Thuringia, ubi vias tutari solent Principes Saxones, eoque nomine vectigalia exigere, praestari non posse securitatem itinerum, nisi sub arbitrio sedis Moguntinae; Quoties enim illi cum Erfurtensibus non recte convenit, illico immittetur miles, peribit mercatoribus, & rusticis Principum subditis, ex mercatu in urbe victitantibus, victus & commercii ratio, intercidit, aut minuentur vectigalia, atque quod generosis pectoribus intolerandum est, nemo non de Principum potestate & dignitate dubitare incipiet, in quorum provincia penes alium & belli & pacis, & com-

meatus etiam literas dandi (tales enim Norimbergensibus oblatas esse constat) facultatem esse, & (verb. p. 27.) *inane simulacrum detracta larva benignis* de Saxonico jure servando pollicitationibus, Principibus relinqui, manifestum fiet.

Pag. 28. 29.

De privilegiis primò agnoscunt, quòd suprà p. 21. nescio, quã ratione exagitabant, nempe: ubi constet de jure Principis, non imminui id, dato subditis privilegio. Addunt privilegia non dari, nisi subditis aut à Principibus. Hæc etiam (quanquam sine explicatione non careant periculo) sequamur tantisper, dum lege suã judicentur assertores. Qui enim jus Principis Moguntinum in Erfordiam nondum probãrant, illi tamen confidenter suo more omnia, ab Archi-Episcopis concessa, aut cum illis pacta, tanquam à Principe profecta, eaque fontem & originem esse privilegiorum Cæsaris, Urbi concessorum, jactant. Sed Principum provinciæ indulta tanquam vicinix jure, aut peregrinis data, imò lepido dicterio talia esse ajunt, *quæ sine temeritate & impudentiã, ne nominari quidem privilegia debeant.* Hæc cum manifestã Imperatorum & Thuringiæ Principum insectatione dici, omnes vident; Illi nempe aut affectarunt inanem beneficii & privilegii titulum, cum nihil darent, nisi jam datum ab Archi-Episcopis; aut abrogare etiam compulsi sunt, quæ malè consulti Erfurtensibus dederant; Thuringiæ verò Principes, in aliena provinciã, tanquam Angliæ Reges aut Veneti mercatoribus Germanis negotiandi facultatem impertientes, exagitantur, quos adeò credidère Erfurtenses de suo largiri, ut diffisi liberalitatẽ illorum, & præcipuè Alberti Landgravii, Imperatoriam confirmationem impetrandam sibi ducerent. Hic verò obiter notari ab omnibus potest, apertus assertorum de privilegiis Imperatorum commentantium ludus, infra denuò arguendus. Cum Imperatores privilegia dederunt Civitati Erfurtensi, nullibi mentionem faciunt Moguntinorum privilegiorum, aut ita meminere sedis Moguntinæ, ut Civitati potiùs adversus eam, quàm huic adversus Civitatem prospectum sit. Sed Landgraviorum Thuringiæ privilegia expressè allegant & confirmant, Rudolphus I. an. 1290. & Carolus IV. an. 1388. Quodnam ergò illustrius documentum exigi potest à Saxonix Principibus, unde manifestius

stius colligatur, Civitatis libertatem fundari in concessione & gratia Landgraviorum, neque processuros unquam fuisse Imp^{es}. ad ejus indulgentiæ, quam Erfurtensibus exhibuere gradum, nisi constitisset ipsis de Principum Thuringiæ aut concessione expressâ, aut patientiâ vim concessionis æquante. Agite verò, quòdnam documentum suæ beneficiæ dederunt Archi-Episcopi? quò diplomate vel suo, vel Imperatorum, immensam illam liberalitatem in Erfurtenses probârunt, cujus hic magnifici prædicatores existunt ministri? quid regerunt Erfurtensibus, omnem illam beneficentiam aut negantibus, aut intra verba honorifica restringentibus, aut magno ære quæsitam probantibus? videatut *libellus* Erfurtens. anno 1605. n. 248. ad 262. & quæ in mandatorum causa sæpius scripsere, imprimis in *Duplica* 13. Julii 1594. vers. **Dann jetzo hindan gesetzt.** Nam ingratiissimi notam non meretur, qui de beneficio verè ac liberaliter accepto convinci non potest. Manet autem incorruptus honos privilegiis & beneficiis Landgraviorum, ipsorummet, qui acceperunt æternâ commemoratione, & Imperatorum, qui Principum concessiones ratihabuerunt, confirmatione celebratus. Feriunt hæc suâ luce ipsos malevolorum oculos, quapropter diffisi iis, quæ hæctenus vel extollendo sua, vel contemnendo nostra, pro lubitu declamaverant, spiculum relinquant in vulnere, dum privilegia Alberti in turbis data fuisse, dictitant. Turbarum itaque patronus, & in turbido gestorum confirmator fuerit Rudolphus Imp. cum Erfordix an. 1290. ipsum Alberti privilegium suo diplomati insertum confirmaret. Nescivit scilicet Imper. dissidium inter Wernerum Archi-Episcop. & Erfurtenses jam anno 1282. compositum fuisse, neque quidquam officisse aut officere potuisse iis, quæ inter Landgravium & Civitatem acta essent.

Ad pag. 20.

Albis ad protectionis Saxonix defensionem quadrigis properare ajunt Saxonicum Scriptorem. Accipit is Principum suorum nomine bonum & triumphale omen, tendentesque ad probandam causæ justitiam, Imperatori & Imperii Proceribus:

Portabit niveis currus eburnus eqvis.

At tanquam pulverem spernunt convitia, quibus hic largiter con-

E-3

sper-

sparguntur, cum jus eorum optimum & certissimum, ut *monstrum* aliquot
biforme petulanter irridetur. *Plus esse in protectione, quam in jure Principi-*
patius, nusquam dictum est ministris Saxonis, sed *temperamentum uti-*
le, juris & vocabuli, repertum dixere, dicuntque iterum. Arcanum
neque confinxerunt, neque evulgarunt, gratiamque Principum ita co-
lunt, ut honesti verique juxta sint observantes.

Pag 31.

Tempus indicari flagitantibus, quando Erfurtenses non putave-
rint, Principis titulo Saxonie Ducibus dato, perire libertatem Urbis,
satisfactum esse existimamus, supra *ad pag. 19.* Unde etiam responsum
peti posset, ad paradoxa hinc cumulata, de libertate Urbis cum titulo sci-
licet illo non consistente. Sed quoniam hanc chordam in sequentibus
saepius & importunius oberrabunt, non deerit in loco ulterius re-
sponsum.

Ad pag. 31. 32. 33.

Ad duo quaesita, quam accuratè, ipsi viderint, distincta, more suo
respondent, perpetuò repetentes nudam assertionem, quae probanda essent.
Regulam statuunt *civitates non limitate & restrictè, sed absolute subdi-*
tas, in protectionem aliorum concedere non posse. Demus hoc, quoniam
non dandum sine cautione. Sed Erfurtensem Civitatem non *mixta*
conditionis, & secundum quid subditam, sed absolute subditam esse Archi-
Episcopo Moguntino, ajunt, asserunt, clamant; probationem postulan-
tes, convitiis, minisque abigunt.

Nihilò magis probant, *judicatum esse in Camera, non licuisse Civi-*
tatem in scio Moguntino subicere se protectioni Saxonicae. Ingenium &
fidem, doctores in testimonium vocantium, notabili hinc exemplo osten-
dunt. Rolandus enim, quem laudant p. 4. lib. 2. c. 3. n. 14. non *ju-*
dicatum ita dicit, sed *notatum*: ab illis nempe assessoribus, qui existima-
bant aut praesupponebant, Erfordiam Civitatem absolute subditam es-
se. Illi etiam *rejecerunt allegatas protectionis causas*; sed pluribus
suffragiis victi, impedire nequiverunt, quo minus Erfurtenses absolve-
rentur, & protectio Saxonica admitteretur, salvis juribus Moguntinis,

non

non salvo generali Imperio in Erfordiam, ut clausulam illam interpretan-
tur sua autoritate Assertores. Et licet hæc ex actorum fide manifesta
sint, adscribemus tamen ex Meichsnero Tom. 2. l. 1. dec. 21. 9. *verba*
referentis in causa collectarum primi mandati de an. 1557. ab Archi-E-
piscop. Moguntino contra Erfurtenses impetrato. Referens ille in eâ
fuit sententia, Erfordiam esse Civitatem absolutè subjectam, nemo id ei
vitio vertit, cum ex animi sui opinione locutus est. Sed dicitne ita
judicatum esse vel ab omnibus, vel à majori assessorum parte? minimè
gentium. Verba ejus hæc sunt ad quæstum: An actio probata? Er
puto intentionem actoris in petitorio probatam, ut & in possessorio, quoad
hanc causam sufficiat: quoad petitorium, breviter me remitto ad vota Do-
minorum in priori lite. Primò, quia actor in priori lite probaverit, se
plenum absolutum & universalem Dominum Civitatis Erfordie & fuisse
se & esse, referendo me ad votum Domini Correferentis, & eorum, qui
ipsum secuti sunt. Secundò JUXTA MAJORA VOTA, posito,
ACTOREM NON PROBASSE OMNIMODAM SUPERIO-
RITATEM, tamen saltem conclusum, pleraq; & potiora regalia jura, ju-
risdictiones, & superioritates, & consequenter, ut in reliquis saltem præ-
sumptionem pro se habeat, ita ut onus probationis in Reos transferre VI-
DEATUR, referendo me desuper ad votum Domini Referentis in prio-
re lite.

Hic, qui tantoperè Erfurtensium libertati, aut restrictæ sub-
jectioni adversatur, non negat tamen majoribus votis in lite princi-
pali, referentis sententiam secutis, conclusum, Archi-Episcopos non pro-
basse omnimodam superioritatem, sed quod evidenter sequitur, regalia tan-
tùm, ut singula, etsi multa & potiora viderentur Judicibus demonstrasse.
Evidens inde est, quàm frustra provocetur ad quorumvis aliorum testi-
monia, quàmq; iniquissimè laceffantur p. 33. Saxonici, tanquam alieni ju-
ris invasores, quia scilicet non sequantur minorem Assessorum nume-
rum, omnimodam superioritatem Moguntinam probatam existiman-
tium: aut quod intermedium aliquod genus civitatum admittunt. Quis
enim Thesin illam probet, prorsus nihil relinqui inter imperialem li-
bertatem, & conditionem mediata subditæque Civitatis. Extruduntur
enim exemptæ & mixtæ conditionis Civitates, nullo jure aut merito. Sed
de hoc alibi, ut & de animo Principum cum Erfurtensibus paciscentium.

Ad

Duo hinc agunt, aut agunt potius nequicquam, primo: ut, allegatis admodum concisè & breviter Historicis suis, credibile faciant, Moguntinos Præsules & potuisse protegere Erfurtenses, & protexisse. Deinde criminantur aperte, Rebelles esse Erfurtenses, & rebellionem patrocinari Saxones in asserenda protectione. Ad allegata protectionis Moguntinæ exempla sæpè responderunt Erfurtenses, neque ex iis, nisi probatâ prius hypothese omnimodæ superioritatis, aliud efficient Moguntini, quàm Archi-Episcopos aut Episcopali autoritate & functione adjuvisse aliquando Civitatem, aut factionibus in Urbe sese applicuisse, aut pro juribus non paucis secularibus, quæ ad Archi-Episcopos spectant, vigilasse. De turbis ab anno 1509. ad 1516. infra pluribus dicendum est. Nam quæ ex illius temporis historia hinc malignè adducuntur, cautelam dant, etiam de antiquioribus dubitandi. Inter quæ & illud est, de implorato ab Urbe Dieteri Archi-Episcop. auxilio, quando inter Fridericum Saxon. Elector. & fratrem, bellum anno 1451. metuebatur. Erfurtenses certè produxerunt in Camera fœderis formulas, cum Electore Friderico, Episcopis, Comitibus & Civitatibus Thuringiæ & Misniæ an. 1447. initas. Mereretur formula tota adscribi, nisi prolixior esset. Notabile id maximè, quod non alio stylo utuntur Erfurtenses, quàm cæteri provinciæ ordines, Johannes nempe Misnensis, Johannes Mersburgensis, Petrus Numburgensis, Episcopi: Comites Stolbergenses, Mansfeldenses, Schwarzburgenses, Beichlingenses, Gleichenses, & ex Equestri ordine præcipui, qui Electori auxilium adversus fratrem pollicebantur; post Civitates verò primarias, Lipsiam, Dresdam, Misnam, Chemnitiam & Zviccaviam, Erfurtenses ultimum locum occuparunt. Et postquam Elector Fridericus Thuringiam armatâ ingressus est manu, statim Erfurtenses ab ipso in plenissimam protectionem sunt recepti, ut diploma Electorale satis ostendit, datum in castris an. 1450. Sabbathi post Visit. Maria, presentibus, & intervenientibus quinque Imperatoris Consiliariis, ex Principum & Comitum ordine. Alterum illud de rebellionem Erfurtensibus impactum, tum demùm à convitii impotentia excusabitur, quando absolutus Principatus Moguntinæ legitimè probatus, & jus Principum Saxoniorum absorbebit, & Civitatis formam mutabit. At illo non probato, stabit

G

Civitatis Erf. forma, & cum eâ & Moguntina & Saxonica jura optimè
consistent, nec difficulter poterunt conservari, absque rebellionis vel
movendæ, vel protegendæ crimine. Certè qui jam vivunt, & rerum
potiuntur Saxonix Principes, non alio sunt animo, quàm quo fuit Fri-
dericus Elector an. 1428. quando pro se & fratribus non tantùm ge-
nerale fœdus ad vitæ tempus cum Conrado Archi-Episcop. & Electro
Moguntino Francofurti iniit, sed & eodem die promisit speciali pa-
cto, de conservandis juribus Moguntinis Erfordix, des *Stiftes Rechte/*
alt Herkommen/Herrlichkeiten und Freyheiten/si nempè cives ea lædere,
(verfürhen) vel quæ debent juxta antiquam formam, præstare nolint.
Vicissim promisit Archi-Episcopus, nullam se pacem aut transactio-
nem cum Erfurtensibus facturum, nisi adhibito & nominatim incluso
Electore Saxone. Nihil hinc *ad omnimodam*, nihil etiam *ad superio-*
ritatem, quod vocabulum de suo intrudunt, effici potest. *Jura, veteres*
observantias, dignitates & libertates, non sunt idem, quod *omnimoda*;
Inobedientiam verò & vim etiam committunt, qui particularia hæc ju-
ra violant, at rebelles propriè dici non merentur. Rebellionem toties
objectantibus responsum *duplice Erfurtensis an. 1594.* semel opposuis-
se liceat, cum scribunt:

Man greiffet mit beyden Fäusten nach unserer Freyheit und Ge-
rechtigkeit/nondum obtentâ causâ, und sollen alles gut heissen/stille sitzen/
und unsere Gerechtigkeit fahren lassen / oder höchster Verunglümffung
und Gefahr gewärtig seyn. Dem so bald wir nicht den ungereimten
Verstand der Urtheil/und in consequentia darauff gegründete omnimo-
dam superioritatem, einräumen wollen/ ist der Rhein entbrant/ und muß
die continuatio nostræ libertatis & possessionis Ungehorsam und Auff-
ruhr heissen.

Ad pag. 33. 34.

Duo hic præter cætera hic negata & asserta sunt, adversus mani-
festam & omnibus obviam actorum fidem. Negant ab Erfurtensi-
bus allegatam difficultatem protectionis Moguntinæ: audiant illos *ar-*
ticulo tertio, ad quem ipsos provocare Moguntinos mirum est, ita in
summo judicio *Camera* adversus secundam conventionem Mogunti-
nam excipientes. Daß einem Erz-Bischoff und Dom-Capitul entle-
gen/die von Erfurt/die Ihren/und der Stadt Landschaft/vor ihren Wi-

§

dera



derwärtigen zu schützen und zu schirmen. Audiant Archi-Episcopum
Wolfgangum coram Imperatore ipso, in replica an. 1591. d. 11. Maji,
etiam de civili administratione, nedum de bellica protectione confi-
tentem: Die Stadt Erfurth sey dem Erz-Stift/ als der Rath selbst
bekennet habe/etwas entlegen/das einem Erz-Bischoff zu Mainz/bey sol-
cher damals zugewachsenen Commun, fast schwer und unerträglich gefal-
len were/mit Nus das Regiment des Orths auszuführen. Scilicet alia
jam sunt tempora, postquam obortâ majori historiarum luce, (ut ajunt
p. 102.) compertum est, quod ignorabant illi, Erfordiam in provincia
Moguntina sitam esse, pagis Moguntinis circumdatam, ut postea intel-
ligemus. Alios etiam mores hæc ætas postulat. Nam explicatis jam
signis Moguntinis Erfordiam itur, in quam anno 1509. vocati à plebe
200. eqvites Moguntini, cum periculo capitis sui, noctu irreperunt.
Quâ verecundiâ negârunt, eadem audiamus assêrentes, expressis verbis
professos esse Erfurteneses, non ad alia, quàm quæ extra Erfordiam sunt,
protectionem fuisse susceptam. Si quis illa verba expressa, non ad alia,
imò si quis sensum illum ex articulis Erfurtenesium eruere possit, sine
manifestâ cavillatione; Illi nos victas porrigemus manus, & nunc de-
mùm intelligere bonâ & simplici fide, profitebimur, protectionem ad
feuda tantùm Saxonica pertinere, quod nemo majorum, ne suspicatus est
quidem, verba Erfurtenesium legens, cum expressè & conjunctim dicunt:
Die von Erfurth/die ihre und der Stadt Landschafft/ & in primo prote-
ctorii fœderis capite, Rath/Räthe/Bürger und Gemein der Stadt Erf-
furth/mit ihrer Stadt/Schlössern/Dörffern/Gütern und Untertanen.

Erfurteneses nempè contra intentatam sibi, de abolendo fœdere
Saxonico, actionem, hanc tunc defensionis rationem iniêre, ut dicerent,
se jam feudi nexu obligari Saxonix Principibus, & ne quis ad feuda eos
tantùm respexisse putet, quæ fuisset facilima evadendi ratio, addunt, si-
tam esse Urbem in provincia Ducum, distitam verò esse longiùs à Mo-
guntia, & ditione Moguntina, quàm ut tutelam inde sperare possit.
Ajunt porrò, Archi-Episcopos vel expressè, vel tacitè in hanc prote-
ctionem consensisse, pecuniam etiam accepisse, neque hoc fœdus offi-
cere juribus Archi-Episcopalibus, (quæ in responsione ad decem positio-
nes conventionibus singulis præmissas, particularia esse dixerant) multas
præterea esse Civitates, tam immediatas, quàm mediatas, quæ protecto-

ree

res suscipiant; denique protectionem hanc Urbi, Civibus, & pagorum incolis summè fructuosam, nemini damnosam esse. Unde igitur exculpi hîc potuit *expressum* illud, *non ad alia*, & aliud non minùs violenter exterebratum; *ea tantùm in protectionem data, quæ non à Moguntinis, sed aliundè tenerent.* Nulla enim, ne mentio quidem Moguntinæ concessionis ostendi potest, nedum distinctionis & separationis, quam hic obtrudere incautis cupiunt.

Ad pag. 35. 36.

Haftenus de jure protectionis actum est, nunc de facto quærendum: non de facto & jure simul, ut hîc alterum membrum quæstionis parùm congruè proponitur. Ad facti speciem pertinet explicatio mentis contrahentium: quam verè & candidè propositam per sigillationes meras, & per immania convicia, nequicquam mutaverint adversarij. Non meretur irrideri dictum nostrum, *non id actum esse fœdere protectorio, ut ex eo aliquid ad Moguntinos perveniret.* Quoniam aut non intellectum id est, aut quasi non intelligeretur, simulatum; dicemus iterum, fœdere protectorio abuti non debere Moguntinos ad stabilientium, quem moliuntur, Principatum in Erfordiam. Quomodo autem id agant, manifestum erit, ex iis, quæ mox subjiciunt. Dicunt enim non niti protectionem jure Principis. Sed demonstratum est à nobis, & porrò demonstrabitur, *omnino niti*; id est, protectione non sublatum esse jus Principum Saxonorum universale, etiam extra pacta protectoria subsistens. Nam *an* adquiratur *Principatus fœdere protectionis*, frustra hîc disputant. Quæstio sola est, an pacto Principum amissum sit, quod ante pactum habuerint? sive, an Landgravi Thuringiæ Erfordiam, tanquam à jure Landgraviatûs seu Principatûs prorsus liberam, in tutelam, ut vicini & peregrini, receperint. Hoc negavimus, atque iterum negamus.

Nisi verò Saxonici Principes in fœdere protectorio ineundo, ita sibi prospexissent, ut non abjicerent jus Landgraviatûs universale, sive, nisi protectio ipsa niteretur, aut profecta deductaq; esset ex jure Landgraviatûs, pervenisset utique ex hoc fœdere plurimùm contra protegendum mentem, tum ad Moguntinos, tum ad Erfurtenses. Nam si Principes pacti sunt, tanquam cum subditis Moguntinis plenariis, quis

non videt stabiliri hoc modo intentionem Moguntinam. Neque factis tutò pacti forent, tanquam cum prorsus liberis, quod patet ex controversiis illis, quæ etiam post fœdus, Principibus & Civitati intercessere. Pactos itaque esse, & diximus & probavimus, tanquam cum incolis Thuringiæ, juri Landgraviatûs universali subordinatis, tum etiam, quod non dissimulavimus, sedi Moguntinæ suo modo obnoxiiis. Pacti hujus summam vim atque utilitatem eam esse statuimus, *ut Erfordia is status maneat, qui fuit ab antiquo, temperatus nempe hunc in modum, ut nunquam absolute subjici possit civitas sedi Moguntinae*; sic enim & jus Principum extra pacta, & pactis firmatum, vel periret, vel debilitaretur: Deinde verò, ut non subjiciatur duriori nexu Saxoniarum Principibus, quam qui cum fœderis conditionibus consistere potest. Ita enim securi erunt libertatis, indulgentiæ Principum & confirmatione Cæsarium quæsitæ. Hæc professione cordata & Actis partium, usuique rerum consona, in nihilum recidunt, quæ oggerantur, de *subditis alienis, & de subditis suis protegendis, vel non protegendis*. Mixture & temperamentum jurium Erfurtensium efficit, ut nec contra jus fasque fecerint Principes, protegendo illos, in conservandis juribus propriis, sine damno Moguntinorum jurium, per tot secula habitis: neque sibi præjudicaverint, paciscendo cum illis, alio modo & stylo, quam fieri solet, quando cum *absolute subditis* Principes paciscuntur. Interim notabilis hæc est Saxonici juris prærogativa, quod *libertates & exemptiones, sive jura propria Erfurtensium, privilegiis & pactis cum Principibus Thuringiæ olim initis, nituntur, quod supra satis demonstratum est*; Moguntini verò nondum probârunt, ex sua liberalitate aliquid ejusmodi ad Erfurtenses pervenisse. Sequitur hinc, duplici ratione subsistere Erfurtensium statum & exemptionem, adversus omnimodam Moguntinam: Unâ, cum jura sua particularia prorsus libera, & *suo jure & ab Imperatoribus quæsitæ* dicunt Erfurtenses; Alterâ, cum agnito Principatu Sax. *ex pactis & privilegiis Principum jura illa Civitatis deducuntur*. Ad primam proniores fuere Erfurtenses quotiescunque florentibus rebus suis, imperialem libertatem meditabantur; *alteram*, si in priori defecerint, assentientibus & defendentibus Principibus, allegare possunt, eamque in effectum allegârunt, quoties Principum territorialium titulum, & situm in provincia, & privilegiorum acquisitionem, aliaque ejusmodi publicè sunt pro-

pro-

professi. Utraque verò ratio ad eundem tendit finem, ad impediendum nempe Principatum Moguntinum *omnimodum*. Nam *propria* sunt Erfurtenſium jura, *propria* libertates, quoad Moguntinos, ſive ea jura ab Imperatoribus quaſiverint, ſive à Principibus Thuringiæ; licet poſteriori caſu, *propria* non poſſint dici, quando opponuntur Principibus. Neque tamen poſteriori hoc modo minus cautum eſt libertati Civitatis; pactis enim operoſè, & oneroſo cum titulo id actum eſt, ut Principes ea, quæ ab antiquo adquiſivit Civitas, (inter quæ maximum atque præſtantiffimum eſt, *confirmatio Caſarea privilegiorum à Thuringiæ Principibus impetratorum*) ſolemniter agnoverint, & ſervanda ſanctiffimè promiſerint. His ita conſtitutis, facilis eſt reſponſio ad ea, quæ ex perſonâ Erfurtenſium objiciuntur. Nam (1.) falſum eſt, ut ex antedictis conſtat, ante pacta protectorii fœderis, nunquam prætenſiſſe Landgravios aut Saxonix Ducis jus univerſalis territorii in Erfordiam: (2.) Eſſi tempore pactionis ſive potius in ipſo pacto protectorio, expreſſis verbis id jus univerſale non exceperunt ac reſervârunt: Illud propterea non amiſerunt. Quis enim admitret effatum pag. 35. quo ſecurè & tanquam è tripode pronunciat: *Principem non poſſe paciſci cum ſubditis, niſi expreſſis verbis ſignificationem edat, ſe cum ſubditis paciſci.* Et barbaros eſſe, qui hæc non credant. Barbari ſcilicet fuere Fœderati Belgæ, qui in celebri illo induciarum negotio, non credidère amitti jus Regis Hispaniarum, niſi ederetur contraria ſignificatio, eſſi de ſubditorum conditione expreſſis verbis nihil exprimeretur. (3.) Cur pactione ſpeciali & ſingulari uti voluerint Erfurtenſes, rationes plurimæ jam ſunt in *expoſitione Juſtitia Saxon.* adductæ, nullâ reſponſione labefactatæ. Nihil enim agitur convitiis adverſus objectum à nobis argumentum, quod etiam Archi-Epiſcopi ſæpiſſimè cum Civitate pacti ſint, non editâ eâ reſervatione, quâ jus Principatûs prætenſi ſtabiliretur. In pactionibus ejusmodi ſcilicet mirum non eſt, quædam differri aut diſſimulari, & dum remedia controverſiis componendis quaeruntur, verba talia adhiberi, in quibus utraque pars dignitati & rationibus ſuis ſatiſfactum putet. Satis conſtitit Principibus paciſcentibus, quale eſſet jus Landgraviatûs Thuringici, & ubi ſita eſſet Erfordia, neque obliſi ſunt privilegiorum & conſeſſionum, à majoribus ſuis Civitati datorum, ne-

que latuit eos jus Moguntinum in Civitate. Erfurtenses etiam tam stolidi non erant, ut non meminissent, quo loco haberent Principes, quidve malorum passi essent, quotiescunque iis sese opposuissent. Inventâ itaque ratione, quâ & Principum jus dignè & utiliter constitueretur, & Civitatis licertati validè prospiceretur, quid opus erat vocabulis in illo ipso negotio insistere, quod finiendis disputationibus & perpetuæ harmoniæ causa susceptum erat. Eadem sanè cautela etiam Archi Episcoporum fuit, non magis, ut diximus, in pactis suis *superioritatem illam omnimodam, aut homagium sibi præstitum*, exprimentibus, quod hic exigunt fieri à Principibus debuisse, quibus id factu fuisset facilius: Jurant enim Erfurtenses, cum investiuntur, Principibus *fidem & obedientiam* præstituros, *treu/hold/gehorsam und gewärtig zu seyn*. Sed visum est potius juramentum illud allegare, quo Civitas singulis annis ad tuendum statum suum sese obstringit, omnibus notum, & in universum validum, nullâ exceptione aut interpretatione elevandum.

Ad pag. 37.

Distincti verò sunt Erfurtenses à subditis Saxonie. Quidni? sunt atque manent distincti à subditis cæteris Saxonis, neque privilegiis & pactionibus ejusmodi in eum, quo gaudent Erfurtenses statum assertis, neque Moguntinæ sedis juri ullo modo obnoxiiis. Nusquam hoc dissimulavit defensor justitiæ Saxon. neque corripit stylum pactorum, aut corrumpendi causas habuit. Sed ratio ei fuit, estque etiamnum, cur dixerit, profundas perpetui fœderis causas fuisse. Assentientes habebit omnes, quibus libuerit cætera pacta protectoria, quibus aliæ Civitates, & hæc ipsa Erfordia, & Mulhusa & Northusa (nam & has in protectionem Saxon. concessisse notum est, & suprâ monitum) usæ sunt, cum pacto hoc perpetuo conferre; & rationes hujus dicti satis aliàs expositæ sunt, nec convulsæ ab assertoribus, ut opus non sit in illis repetendis operam perdere.

Ad pag. 38.

Erfurtenses statum suum per collisiones Archi-Episcoporum & Landgraviorum in eam adduxisse formam, quæ utrisque sæpè gravis fuit, & rigorem utrorumque temperasse pactis, tam verum est, quam quod verissimum. Verum etiam illud, Dieteri Archi Episcop. rigore,
& fu-

& futurorum metu ad protectionem perpetuam à Landgraviis impetrandam, vel maximè inductos fuisse. Meliorem verò conditionem suam fecisse perpetuâ pactione, quàm temporariâ, etiam nos & verè diximus, & argumentis ostendimus.

Pag 38.39.

Ne truculentam phrasin, *truculenta malignitatis* perire sinant, fingunt nos, de æquali fœdere inter Archi-Episcopos & Civitatem, loquentes, etiam paritatem conditionis & status inter Dominum & subditos inductisse. Cujus consecrarii neque verbum, neque sensus tribui potest libello Saxonico. Posse enim æqualem bellicam societatem pari onere & commodo, inter disparis conditionis homines constitui, quis dubitat? At æqualem ejusmodi societatem, qualis inter Archi-Episcopos & Civitatem non semel inita est, non consistere cum asserto pleno & perfecto Principatu, diximus optimâ ratione, neque ejus dicti nos poenitet, assensum ab omnibus impetraturos, qui pactorum formulas legerint. In pactis Gerlaci Archi-Episcop. ab utraque parte tempus auxiliorum mittendorum, arbitrium controversiarum, prædæ divisio, cibariarum suntus, omnia ex æquo constituuntur. In pactis cum Johanne Lucelburgico potior etiam est Erfurtensum conditio, quando suppetias suas ad Eichsfeldiam restringunt. In fœdere cum Johanne Nassovio, contra Marchiones sive Landgravios nominatim concepto, mira est etiam in stylo exæqvatio: *Das wir uns mit einander vereinet und verstricket haben / das unser einer dem andern getreulich mit Macht behelffen sein sol / und sol sich einer ohne den andern mit denen Marggrafen nicht sühnen.* Ad hanc exæqvationem nunquam descensum est in pactis cum Landgraviis; Subditis Saxonis, & nominatim Civitatibus, comparati sunt Erfurtenses, at non ipsis Principibus. Eò mirandum est magis, Principem ipsorum sententiâ *absolutum, jus belli & pacis in Civitate sibi absolute subjecta exercentem*, ad has fœderis formulas sese submisisse. Quid verò opus fuit exprimi, *ne pax fiat ab una parte*, quando Civitas Principi suo subjecta, vel bello ejus per se implicatur, vel pace ab eo constituta fruitur. *Gigantéo ne ausu & comico ludo* opus habuit, aut *inaudito in Germania exemplo mirâq, metamorphosi* argumentatus est, qui ex fœderibus hisce Civitatis libertatem & potestatem,

à Mo-

à Moguntino certè Principatu non dependentem, collegit. Tali potius ausu & exemplo, *solidum illum Principatum* in alienam provinciam inferunt, & quasi probarent aliquid, repetitis toties assertionibus *confessum semper, agnitum & assertum* crepant.

Interim nemo negaverit, in fœderibus illis, non absorptum esse jus Moguntinum, quale est illud *de Judæis*, aut aliud tale. Illis enim juribus prospicit Johannes Lucelburgius his verbis: Auch sollen sie uns und unser Stiff/unserer Pfaffheit/ unsere Mann/ bey allen unseren unserer Pfaffheit Rechten/ Ehren und Freyheiten/ als wir sie von Alters bißher bracht haben/lassen bleiben/und darzu treulich seyn behelffen. Superflua & ridicula hæc fuit cautio, si agnitum, & assertum & confessum fuit jus *solidi Principatus*. Idem, cum de Civitatis juribus loquitur, promittit, er wolle sie bey allen ihren hand-festen Briefen/Rechten/Gnaden/Freyheiten/ Lehen-Gütern/ Erbe/ Gerichten/ und was darzu gehöret/ als sie die von Alters bißher gebracht haben/ behalten/ und getreulich vertheidigen/ schützen und schirmen/ und sie daran nicht hindern/ dringen oder beschädigen/wider ihre gute alte redliche Gewonheit/ &c. In exordio autem dixerat: Als wir und die unsern von des Reichs wegen von Römischen Käysern und Königen/ als ein rechter Korfürste des Reichs/ und dieselben Bürger (zu Erffurth) von sunderlichen Gnaden und Hand-festen derselben Käyser und Könige/ sind begnadet und gefreyet/ und von Alters also herbracht haben.

Nihil de gratia Moguntina: Ex uno eodemque fonte & Archiepiscopi & Civitatis privilegia deducuntur: fœdus etiam hoc consilio & jussu Caroli IV. Cæsaris initum esse, assertitur, neque tribunali seu Jurisdictioni Landgraviorum opponitur quod nunc fieri videmus, justeriorii Moguntini, vel in omnem Thuringiam, vel in Erfordiam, sed privilegium Cæsaris speciale, per quod ipsum confirmatur, in reliquis non mutatis, jus regulare, Principibus Thuringiæ competens. Cæterum de successu talium fœderum, quoniam grave ducunt credere Scriptori Saxonico, credant suo: legantque anonymum de Landgrav. Thuring. c. 109. c. 114. 118. 120. 131. 150. memorantem, quàm infaustum semper exitum habuerint Civitatum & Comitum Thuringiæ adversus Landgravios conjurationes, & ut ipse meritò vocat, *rebelliones*, utut sine fœdere Moguntino vix unquam talia molirentur.

Pag.

*Mimici profectò ludi sunt, per quos hîc inducunt Saxonicum Scri-
ptorem, tradentem, quæ non tradidit; conjungentem, quæ disjunxit; asse-
rentem, quæ negavit, profitentem, quæ celâsse dicitur: Aliam nempe esse
formulam pactorum Wilhelmi an. 1470. aliam perpetui fœderis, an. 1483.
In illâ titulum Principis nominatim & significanter insertum; in hac
omissum, sed mentem propterea Principum eandem fuisse, idq; ex aliis
rationibus colligendum esse. Fuit enim hæc scena ideò adornanda, ut
locus esset rustico dictorio, è Tullii officiis etiam pueris noto, de mi-
cantibus in tenebris. Certè cum iis, qui ita parati veniunt, ut aliud pro
aliis substituunt, cujus ludi egregium hîc & aliàs specimen dedere, & in
sequentibus daturi sunt, ne in luce quidem micandum est.*

Expectantibus atrocis querelæ causas de corrupta historia fide, de
insidiis alieno juri structis, de turbis infinitis, historiola obtruditur nihil
ad propositum faciens; nulla enim hic de collectis quæstio, alibi satis tra-
ctata: nec præsidium ex eo, quod Erfordia, membrum sedis Moguntinæ
majusculo scil. caractere scribitur, cum nec filia, nec subditorum no-
men, quibus semper utuntur, ad subjectionem eorum absolutam un-
quam suffecerit. Neque id hîc quærebatur. Sed dolosè nimirum ta-
citum est nobis, Erfurtenses impetrâsse ab Imperatore Friderico III. se-
questrationem illam jurium Moguntinorum; Itane aliud dicendum fuit,
quàm quod dixit scripsitq; ipse Imperator, in literis ad Erfurtenses, mot^o
proprii clausula utens, nec ullo verbo Erfurtensis petitionis mentio-
nem injiciens. Quomodò verò sequatur ex sequestratione illâ, omni-
moda, quam semper in ore habent, superioritas, ne in luce quidem meri-
diana cerni potest. Jussit Imperator sequestro teneri Archi-Episco-
pi Jurisdictiones, weltliche Gerichte/ hohe und niedere Gerichte/ Zwang/
Gefängnis/ und andere Weltlichkeit. Assertores sanè non nisi imperi-
tissimis persuadebunt Jurisdictionum species quasdam, aut totam etiam
juris dicundi potestatem, idem esse ac territorialem superioritatem.

Longa de Dieteri postulatis narratione, quâ supersederi potuisset,
G. cum

cum in omnium penè manibus versentur & illius & Civitatis scripta, nihil aliud dicitur, quàm quod milles dictum est, *Erfordiam non esse Urbem Imperio immediate subjectam*, & eatenus quidem conveniunt Moguntinæ & Saxonice rationes; deim esse absolute subjectam Moguntinis, de hoc uno asserentem, non probantem, jam diutissime commentatorem hunc toleravimus. Neque satisfit nobis Philosophia illa de privilegiis. Neque enim expeditur, annon etiam privilegia dari possint non merè subditis: aut merè subditis, eâ formâ, ut universitatem juris tollant, & non in consortium tantum jurium, sed ad plenum & irrevocabilem & liberrimum usum privilegiatos & exemptos vocent, cum præsertim magno ære adquiruntur, & clausulæ de non impediendo in æternum, quales ex pactis Civitas allegare solet, firmantur. Deinde verò nihilò magis probatum est, quid quantumve per privilegia Moguntina ad Civitatem pervenerit. Nam hæc suo jure se uti dicit, quando enumerat adversus Diæcerum jura maxima in bello & pace, & inter alia constitutionem Magistratus, his verbis: *Das der Rath von niemand anders Bestätigung nehmen darf / ohne Eintrag eines Erz-Bischoffs / darinnen ein Erz-Bischoff aus Obrigkeit nicht Macht habe zu reden.* Hæc referentes, cur exhorrescere debent Saxonici? aut cur fabulares nœnias recitant, cum dicunt, quod ratio jubet, quodque publico Scripto dicunt, urgentque Erfurtenses: Eum nempe subvertere libertatem, qui eam ad gratiam suam, & ad concessionem privilegii trahit, pro rerum ac temporum statu variandam, aut malè merentibus auferendam. Ex sequentibus certè omnes intelligent, verbo asseri privilegia, re tolli. Nihil enim reliquum est Civitati, quod non absolutæ potestati Moguntinæ in hac assertione vindicetur. Intempestiva verò est humanitas de *Christiano temperamento* Principatûs & Politicæ philosophantium. Constituendum primò foret jus Principatûs, deinde de moderatione ejus agendum. Maximum in Germania imperii & obsequii temperamentum est, ex eo, quod maxima negotia Principes in comitiis Procerum & Civitatum suarum tractant. At ne hoc quidem conceditur à Wolffgango Archi-Episcopo Moguntino, qui Erfurtensibus in replica an. 1591. respondet: *Non solere Conventus provinciales haberi in Archi-Episcopatu Moguntino, sed liberam esse administrationem, das Erz-Stift habe eine freye administration und Regierung.* Dum

Dum Erfurtenses hanc professionem liberæ & absolutæ administra-
tionis, ex vicinæ Eichsfeldiæ exemplo, cum oblato temperamento Chri-
stiani regiminis component, & ad majorum suorum regulas examina-
bunt, deprehendent facile, quid debeant Principibus & Protectoribus
suis, & qui sint *insidiatores, qui auctores & propugnatores libertatis.*

Pag. 44. 45.

Cum quâ subjectionis specie stare possit fœdus Saxonicum, sive,
in quo statu conservari debeat Civitas, ut pactis stare possit, satis super-
que dictum est. Ut divellatur à sede Moguntinâ, sive ut *scurrili sa-
tis phrasi*, alienos Deos adoret, nemini Principum aut ministrorum Sa-
xonorum in mentem venit. Valeat Pii II. constitutio, alienationem
jurium Moguntinorum vetantis, sed valeat etiam in argumentum liber-
tatis Erfurtensis, cum Pontifex oppidum vocat insigne & notabile, nec
ipsum oppidum in dominio Moguntino esse novit, aut alienari vetat, sed
*alodium quoddam, domum Archi-Episcopalem, cum juribus, jurisdictio-
nibus, redditibus, teloniis & pertinentiis.*

Pag. 45. 46.

Fluctus in simpulo excitati, ingenuâ confessione componentur:
Potissimi vocem pro *Potentissimi* irreplisse. Deîn *Sixti IV.* bullam al-
legari debuisse, non *Pii II.* Meretur hæc facilitas, ut agnoscant vicissim
Assertores, quàm parum reverenter de sub- & obreptione Pontifici fa-
cra hinc commententur: Cum tamen bullam *Sixti* lecturi deprehen-
dere possint, quàm sollicitè ipse Pontifex subreptionem Moguntinam
enarret, & structuram arcis probet. Quod & fecit *Imperator Frideri-
cus III. diplomate an. 1480. 13. Maji* dato, *Sixti* bullam autoritate impe-
ratoriâ confirmans. In sequentibus audiemus assertores, immanes que-
relas ordientes, de Principibus & Ministris Saxonis; etiam his extre-
ma omnia minantes, quod ausi fuerint causæ cognitionem petere, non
obstantibus, quæ inauditis Principibus decreta fuerint à Commissariis,
vel per Rescripta Cæsaris. Hic non obstat reverentia in Pontificem
& Imperatorem Pontifici consentientem, quo minùs audacter sub- &
obreptio allegetur. Irreverentius verò etiam est, quod statuunt, Erfur-
tensibus ob *ædificatam arcem*, ab Alberto Administratore multam in-

G 2

di-

dictam esse. Jus itaque est Archi-Episcopis Moguntinis, adversus decreta Imperatorum & Pontificum non tantum opponere, quæ libuerit, sed & decretis nitentes & parentes mulctare: Alberto quidem Administratori persolvit Civitas 40 florenorum millia, sed absuit invidiosum mulctæ nomen, nec mulctandi Civitatem jus unquam fuit Archi-Episcopis. Et quo colore eos ob arcem extractam mulctaverit Albertus, qui sciret antecessorem suum, non quæ Principem, sed quæ Episcopum, Urbem ob destructionem Monasterii, cujus loco arx ædificabatur, ad Pontificem detulisse, commissionem impetrasse; in causa verò succubuisse. Denique si Albertus illos mulctavit, cur successor ejus Bertoldus in pactis an. 1497. eandem resuscitavit litem, v. artic. 2: ubi totam controversiam recenset, & offensam destructi Monasterii extractæque arcis Urbi remittit. Itane ex eadem causa sæpius aut semper mulctandi jus est? Componant hæc, si possunt, antequam ignorantiam & errores Scriptorum quorundam adversus documentorum & rerum fidem extollant. Nam non magis certa sunt, quæ de mutua Principum operâ in arcis negotio navata commemorant. Mirum verò est, de arce frustra sibi operam præstantes inducere Principes, præfractè autem negare operam utiliter præstatam in ipsis pactis anni 1483. atque ad id negandum, uti conjecturis assessorum Cameralium, qui, si audissent, quæ Saxonix Principes allegare potuere, aliter omninò statuissent. Quid enim evidentius ad scientiæ hujus & operæ mutuæ à nobis assertæ probationem adduci potest, quàm ipsius Alberti administratoris confessio, in apochâ Erfurtensibus datâ, d. Dominica post Francisci 1483. in qua fatetur recepisse ab Erfurtensibus 20000. florenos jam secundâ vice, atque ita 40000. florenos, quos Erfurtenses debuerint, ex transactione, interventu Ernesti Electoris & Alberti, Saxonie Ducum, parentis & patrui factâ; auff Beredung durch die Hochgeborne Fürsten und Herren Herrn Ernsten/ Churfürsten/ und Herrn Albrechten/ Gebrüdern/ Herzogen zu Sachsen/ Landgrafen in Thüringen/ und Marggrafen zu Meissen/ unsern lieben Herrn Vater und Bettern/ beschehen.

Judicium hinc ferant omnes, quis solâ affirmandi & negandi temeritate fretus dici possit. Nosne, qui irrefragabili testimonio affirmata stabilimus, & mera asserta licitè & legitime negamus, an il-

h, qui adversus tantam probationum fidem convitia regerunt, & temerè negant, asserta verò nullo documento probant.

Pag. 46. 47.

Calumniam supra p. 37. inchoatam hinc pertexunt de corrupto fœderis protectorii sensu, sed eam facile & legitime depellemus. Primò enim nullâ spe corruptio tentari potuisset, cum pacta fœderis Erfordiae in omnibus penè domibus, & in tot publicis privatisque bibliothecis reperiantur. Dein versionem professi non sumus, sed capitum con-
signationem; ideòque in recensendo *secundi articuli* sensu, breves fuimus; quid enim ille continet, nisi consuetum illud & ordinarium, unumquemque in prima instantia coram iudice suo conveniendum, cessantibus arrestis & evocationibus? Neque obest rationibus Sax. articulus sextus, vel strictim, ut à nobis, expressus, vel verbotenus translatus. *Articulo XVI. provocandi voce* non usi sumus sensu singulari, sed sive & communi. Id enim, quod hinc ex assessore Cameræ allegant, ipsi agnovimus, hanc iudicii formam art. 16. præscriptam, esse pactitiam. Et simili pacto *Gerlacus Archi-Episcopus* sese olim obstrinxit, nihilominus tamen Jurisdictionis, quæ ei competebat, retinens. Unde & Principibus Saxonis pacto hoc non perit Jurisdictio, alio titulo exercenda. Quid art. 19. noceat omissa vox *Erfurtensium*, aut proficit admittit, non apparet. Nam & Archi-Episcopi in pactis eandem conditionem admiserunt, arbitris inter se & Civitatem constitutis. De juramento Erfurtensium jam supra responsum est, ut & ad art. 21. & 25. ex quibus urgent distinctionem Erfurtensium à cæteris Saxonis subditis, nullo cum damno causæ nostræ.

Pag. 49. 50.

Acumina hinc intentata facile ex supra dictis retunduntur: ventilatâ jam sæpiùs distinctione, de plenariis subditis & non plenariis. *Non quari*, sive non noviter adquire protectione superioritatem, etiam nos concedimus, qui jus non quæsitum, sed firmatum & temperatum asseruimus. Quo nomine vocentur in pactis, quæ præstantur Principibus à Civitate, clarum est, neque opus eam in rem assessores Cameræ allegare. Sed Erfurtenses easdem præstationes in libello suo an. 1605.

G 3

ar-

artic. 219. expresse Folge vocant, his verbis: War/ daß entgegen sich die Stadt nicht allein zu einem gewissen Schutz-Geld/sondern auch noch darüber zu gewisser / und in den Erb-Verträgen beniemter Folge / gegen dem Hochlöbl. Hause Sachsen verpflichtet hat. Idem repetunt anno 1608. ut mirum sit, si in actis reliquis tali voce nunquam usi sunt.

Pag. 50. 51.

Protestatio hinc inserta nullarum est virium, antequam de immediato Principatu in Erfordiam adepti triumphum egerint. Hoc vero notari hinc vel maxime meretur, quod asserunt hinc & infra, quando ita eis commodum visum est, *de Juribus ordinum, nisi a toto Imperio statui non posse.* Memores sint hujus effati, ubi crimen spretæ majestatis Cæsareæ impingunt Saxonis, super jure optimo maximo in manifestum periculum adducto, Imperatoris & Imperii iudicium adversas festinatos rescriptorum & commissionum processus, implorantibus.

De Assessorum Cameræ dictis satis actum est, neque nostrâ multum refert, quid non auditis, neque in lite versantibus Saxonis Principibus, huic aut illi visum fuerit conjicere aut commentari; multò minus opinatio unius Assessoris Duces Saxonicos ex Thuringiæ Principibus, æquales aut vicinos Erfurtensium faciet. De mente Principum & Erfurtensium paciscentium suprâ etiam sufficienter respondimus, Verborum pacta ipsa subvertentium rigorem, quem ingenuitatis titulo hinc vestiant, frustra à nobis exigunt, qui in pactis suis, plus juris Moguntini in mente retentum, quam verbis cautum esse, Erfurtensibus objicere consueverunt. *videatur Replica Wolffgangi Archi-Episcop. anno 1591. §. Nichts wenigens aber/und bey diesem/ ic. & quæ infra occurrunt.*

Pag. 52. 53 54. 55.

De exceptione Archi-Episcop. Moguntini in fœderis protectorii formula ita loquitur expositio Saxonica §. 16. p. 17. *laxè nimis asseri à propugnatoribus Moguntina dominationis, exceptum esse Archi-Episcopum in hoc fœdere, neq; contra eum auxilia ferri à Principibus debere, nam etsi honori ejus, ut par erat, consilium fuit, nominato eo inter exceptos, nihilominus tamen adjecta illa de iudicio Principum cautione, id manifesto infer-*

INT.

jur, quod arguit Assessor ille, (apud Gylman.) si Civitas judicium Principum admittat, Archi-Episcopus vero recuset, tunc protectioni locum fore.

Hæc assertio neque nova, neque à Saxonibus solum, sed & ab Erfurtensibus non semel edita, tantas movit iras, ut per folia duo omnium convitiarum virtus evomendum sibi esse statuerint. Utque irascendi & insultandi prætextum habeant, fingunt dictum, quod non est nostrum, nempe Archi-Episcopum tantum honoris causa exceptum, verbo scilicet non serio. Vocula hæc tantum malignè intrusa excusabit scilicet inauditam contumeliarum & minarum intemperiem.

Nam cætera perpetuo illo postulato de omnimoda superioritate innitentia, piget toties refellere. Si non *confectum*, ut ajunt, nobis est, Archi-Episcopum non esse supremum & ordinarium Civitatis Dominum, at controversum saltem esse, non negabunt, quicumque affirmata pro probatis non accipient. Quis enim *confecit*, aut credidit, adjudicatum jam esse Moguntinis supremum & ordinatum dominium? ipsi dicunt, asserunt; dicta, asserta, repetunt atque urgent centies; quid probent, judicium ab aliis expectare debent. *Derestabili itaque exemplo* non nos, sed illi *quietem imperii sacratam* turbant, aut à *cordata inter Principes agendi consuetudine* recedunt, qui Principibus jura sua modeste & ex instituto majorum suorum, & bonæ causæ conscientiam, exponentibus, credendum violentè obtrudunt, quod credito & admissio causæ jacturam facerent. Quandoquidem verò Principatus ille supra cervices Principum Saxonum nondum est constitutus, quis eos suggestæ aut defensionis rebellionis, nisi per summam calumniam accusabit? quia scilicet in fœdere cum Erfurtensibus, non exceperunt Archi-Episcopum Moguntinum purè & illimitatè, quomodo excipi omnino debuisset, si Princeps Civitatis supremus ordinarius, & absolutus agnitus habitusque esset; sed exceperunt tantum cum conditione, si de jure suo arbitrium Principum admiserit. Arbitrium hoc non aliud, nisi æquum atque justum, vel præsumi vel exerceri potest, eò nempe tendens, ut Principes jura omnia sedis Moguntinæ ab antiquo exercita sint agnitari, & Civitati ea invasuræ nullum patrocinium præstituri. E contrario verò, si Archi-Episcopi terminos veteres egrediantur, & pro jure, utat multis & magnis, particularibus tamen, universalem Principatum,

tum moliantur, liberum est ex pactis hisce Principibus & Civitati, junctis viribus illi molimini sese opponere. Itaque non tantum honoris aut dicis causâ, sed serîo & debito modo, *ut par fuit*, exceptum, & inter exceptos, sed cum conditione & modo nominatum diximus Archi-Episcopum. Neque ejus dicti nos pœnitere debet, quantumcunque etiam indignatione ferveant assertores. *Laxè nimis locutos* statuimus, non assessores Cameræ, quibus sententiæ libertas meritò relinqvenda est, sed *Replicæ Moguntina autorem* an. 1591. §. In dem bekennen sie selbst: ubi hæc subjungit: *Immassen dem in solcher Vereinigung mit Sachsen der Erzh. Bischoff und Erzh. Stifte Mainz mit lauteru Worten außgenommen.* Ex his, qui pacta non inspexerit, sensum alium non hauriet, quam *simpliciter esse exceptum.* Eâdem elenchi dissimulatione peccat informatio Moguntina summaria an. 1646. p. 10. *Das die Chur- und Fürstliche Häuser Sachsen art. 26. des Erb. Schutzes / den Erzh. Stifte Mainz davon mit Namen außgezogen / und eo ipso denselben für des Orths Obrigkeit erkant.* Qui salvationem an. 1647. scripsit, cautius paulò, sed non multò veriùs, & cum eodem interpretationis commento: *In solchem Schutze ist nun neben Päbstl. Heiligkeit und Kaiserl. Majest. auch das Erzh. Stifte Mainz zu seinen Rechten (wo wir derer von Erffurth gegen S. L. und seinen Stifte zu recht nicht mächtig seyn) namentlich außgezogen.* Infert postea, *verba, zu seinen Rechten / quæ ipsi ex cerebro suo, non ex pactorum formula nascuntur, idem significare, ac si dictum fuisset, salvo jure superioritatis Moguntinae.* Huc enim omnia recidunt, hæc semper occurrunt, tanquam oves lupo concionanti, quâ fabellâ paginam 52. lepidè ornant. *Laxè itaque loqvuntur & peccant plus petitione, qui promissum cum conditione, purè & sine conditione urgent.* Nam hæc conditio inter maxima & indubia signa est: *Paciscentes non agnovisse superioritatem Moguntinam, sed ei validum hac pactione repagulum opposuisse;* Ideò sæpè id actum fuit à Moguntinis, ut Archi-Episcopi purè exciperentur in protectione, quod acta tentatarum transactionum cum Alberto Cardinali ostendunt. Facit etiam hæc exceptio ad explodendum interpretamentum sæpè jactatum de protectione Saxonica, *tantum ad ea, quæ sunt extra urbem ad feuda Saxonica restringenda.* Quis enim sensus esset, hujus exceptionis, si hæc mens fuisset paciscentium.

Aut

Aut qualis Principum promissio de protectione Erfurtenſium, ratione feudorum Saxoniorum, ad verſus Archi-Epiſcopum, *ſi juri ſtare detre-
taverit.* Quid enim Archi-Epiſcopo cum feudis Saxonis? aut quid illi cum Erfurtenſibus intra ditiones Saxonicas? Nam nemo dubita-
verit intra præfecturas & ditiones Saxonicas ad verſus omnes ſine ulla
exceptione protectionem deberi, & gratuitam quidem, eandemque et-
iam deberi vaſallis à Domino feudi. Oppoſita itaque eſt exceptio
hæc ſuperioritati Moguntinæ, & maximo quidem optimoque jure, do-
nec legitimo judicio ſuperioritatem illam obtinuerint Aſſertores. Au-
diamus ipſos Erfurtenſes Scripto publico anno 1646. p. 45. ita argu-
mentantes:

Ob nun gleich An. 1483. bey Annehmung des Sächſiſchen
Schutzes/die Hochgeb. Herzogen zu Sachſen/ 2c. Art. 26. concordato-
rum, das Erz. Stifft Mainz mit Namen außgezogen; So kan doch
daraus eben ſo wenig einige dem Erz. Stifft/ Erfurthiſchen Orths zuſte-
hende Superiorität erzwungen werden / als wenig die Stadt Mühlhauſen
und Northauſen / ſo ebenmäßſig daſelbſten außgezogen / daher ſo auff Erf-
furth eine Superiorität anziehen mögen.

Ja es erſcheinet eben ex hac Civitatis receptione in protectionem,
das klare Widerspiel/ und daß nemlich das höchſt-löbliche Hauß Sach-
ſen das Erz. Stifft Mainz für der Stadt Superiorem nicht erkennen ha-
be/ Denn ſonſten es dieſelbe von ſich ab- und an den Herrn Erz. Biſchof-
fen (bevorab damaligen ſeinen Herrn Sohn und Vettern) würde ange-
wieſen haben. So wird auch in angezogener clauſula exceptionis von
der Mainz. Obrigkeit oder Herrſchafft nicht ein einiges Wort gemel-
det / viel weniger das Erz. Stifft purè, ſondern nur ſo fern gegen
demſelben das Hauß Sachſen der Stadt zurecht nicht
mächtig were / außgenommen. Bleibet es derowegen im übrigen
(cum exceptio Regulam in caſibus non exceptis firmet) in dem Erfur-
thiſchen Erbschutz unaußgezogen: Und wird auffm bedürffenden Fall ſo
wol darwider vom Hochlöbl. gedachten Hauſe / als wi-
der andere ihre Widerwärtige die Stadt nicht unbilllich
geſchützet und vertheidiget.

Und da auch je dasjenige/welches des Erz. Stiffts Bericht meldet/
(worvon doch jetziger Rath auff fleißiges Nachſuchen keine Nachrichtung

h

fin



finden können/und derowegen nicht das geringste Geständnis daran ein-
räumer) im Jahr 1509. an hochermeldte Herzogen zu Sachsen solte in
Antwort seyn geschrieben worden/(*litteras intelligunt seditiosorum, qua-
les in assertione p. 62. exhibentur*) so kan doch solches/als in flagrantis-
simo tumultu, ac rebus omnimodè confusis, à vi & metu tunc subactis,
geschehen/auch inter tertios ergangen/von dem Erz-Stift zu einigen sei-
nem Behuf/pro confessione formali durchaus nicht angezogen werden.

Quæ hîc verbis profitentur Erfurtenses, eò quidem tempore cum
libertati imperiali inhiantes publico etiam Scripto Saxonicos Princi-
pes lacefferent, olim facto comprobârunt, imploratis Saxonix Electo-
re Friderico & fratre, adversus Albertum Archi-Episcopum anno 1517.
vim parantem. Literis enim Sabbatho *post Cantate* datis narrant, Ar-
chi-Episcopum copias tum in Rhenano tractu, tum in agro Eichsfel-
diaco cogere; orant itaque Electorem & fratrem, ut Principes & pro-
tectores, (*wir ruffen E. Chur- und Fürstl. Gn. als unsere Schutz-Her-
ren und Landes-Fürsten/an/*) ut curent regiones & sylvarum transitus
observari, neque ope suâ carere patiantur Civitatem: epistolam clau-
dunt his verbis, und E. Chur- und Fürstl. Gn. geruhen sich/ als unsere
gnädigste und gnädige Schutz-Herren und Landes-Fürsten gnädiglich zu
bezeigen. Illo autem anno 1517. nulla erat seditio, legitimus sine dubio
Senatus, quem & Cæsar & ipse Albertus literis eodem anno scriptis,
pro tali agnovit.

Ad pag. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62.

Luci historix, ex actis petita, vulgarium, ut videtur, Chronicorum
Erfurtensium narrata, tanquam nebulam frustra objiciunt: intempe-
stivè etiam præana canunt, ac si legitimum actuum pro tuendo statu Er-
furtensi exercitium non probâssent Saxonici. Quis primò requisitus
sit, post turbas in urbe anno 1509. excitas, Moguntinusne Elector, an
Saxo, bonâ fide retulit Scriptor Saxonicus, neque ab illo narrandi ordi-
ne decedit, nisi itidem ex actis, non è vulgaribus Chronicis, aliud doceat-
tur. Quod si tamen probari posset, plebem statim ab initio ad Mo-
guntinos, Senatum solummodò ad Saxonicos respexisse; Inde tamen
non efficitur pugna, quam p. 59. in scenam producunt, cum dictis *Thu-
ni Equitis*; ab eo enim rectè exprobratum est illis, qui ex factione
erant

erant plebejâ, quod ab ipsis non implorati essent Elector & Duces Saxonia. Multò minùs excusari possunt tantæ in autorem Saxonicum invectivæ, qui tamen ad exemplum & stylum eorum loquitur, quæ Fredericus Elector & frater, coram commissione Cæsarea an. 1510. Semalcaldiæ proponi fecere his verbis: Es erfinde sich / daß die Herren von Sachsen mehrmals erfordert worden / ihre treffentliche Râthe zu schicken / und nicht mit schlechten Worten / sondern als ihre Landes-Fürsten / Schirm- und Lehen-Herren / weren auch solches aus Liebe und Gebor Gottes / in Ansehung / wie die Stadt dem Hause Sachsen verwandt / schuldig gewesen / daß sie auch Befehl gethan / daß die Stadt mit den Mainzischen nicht handeln solte ohne der Sächsischen Beysehn / das were nicht übel gethan / nachdem die Stadt beyden Churfürsten / jeden seiner Gestalt nach verwandt / hätte sich also nicht übel gebühret / daß solche Handlung in Beysehn beyder Churfürsten Râthe geschehen. Unde etiam de *historia Legationis Electoris Frederici, & de Legatorum exostulatione, tum de unius Senatoris Joh. Cranichfeld secessu merito dubitamus.* Chronicorum Erfurtensium ea est traditio, quam tacentibus chartis archivorum allegasse verècundati sumus. Verùm nomina Exulum sigillatim perscripta, & quo quisque die venerit, & in protectionem receptus sit, manifestè ostendunt, Senatorii ordinis omnes aut profugisse Civitate, aut fugâ præclusos summum discrimen fortunar. & capitis incurrisse. Quapropter violenta est assertio, seditiosos esse, qui è Civitate profugerint, non illos, qui vi & crudelitate sua legitimos Magistratus ejecerint. Nec jure exprobrant Saxonice Principibus, quod exules ejectos, non plebem illam, tanti tumultûs, tot criminum ream protexerint. Quasi multitudo delinquentium jus faciat, aut pauci, qui legitimum Magistratum gerunt, non mereantur recipi & restitui, contra totam plebis seditiosæ colluviem. Hoc modo causâ ceciderit facilè & Rex Britannus, & optimates Urbium à majori numero non rarò expulsi Seditiosos itaque vocamus, qui nulla autoritate in Magistratum suum armatâ manu insurrexerunt, Senatores & Syndicos carnifici torquendos & necandos tradidère, bona eorum contra jus & fas invaserunt, leges Ochlocraticas nullo jure condiderunt, provinciam multis modis turbârunt, Principum Saxonice dignitati & juri, contra morem majorum & pacta publica, impudenter insultârunt. Neque non magno ex-

emplo tales seditiosorum loco habemus, qui eodem loco habiti sunt ab Imp. & à statibus Imperii. Imò qui tales habiti sunt à semetipsis, post annos septem coram Saxoniae Ducibus supplices & Scripto professi, Daß sie durch sich / ihre Bürger / Inwohner und Unterthanen / mancherley Uffruhr vorgenommen wider die Durchlauchtigsten / 2c. 2c. Herrn Friederichen / Herrn Johannsen / und Herrn Georgen / Churfürsten und Herzogen zu Sachsen.

Tales etiam à Magistratu Urbano secutis postea temporibus semper habitati & pronunciati fuere, Scriptis publicis privatisque. Videatur, ut alia omittamus, libellus Erfurtensium articulatus anno 1605. multis articulis, & imprimis 505. 506. 507. his verbis: Wahr und notorium, daß der von den Mainkischen **Beampten und Capitularen angestiftete Auffruhr** sich allgemach An. 1509. angefangen / und erst zu Ende des 16ten Jahrs / und doch in demselben Jahr nicht gänglich geendet hat. Wahr / daß solche Zeit über denen **Auffwiegern** anderst nicht / denn dem vermeinten **Rath** / oder die sich der **Rath in Erfurth** nennen / von den benachbarten Herrschafften / und sonderlich dem Hause Sachsen / geschrieben worden. Wahr / daß An. 17. und also erst nach getroffenerm Vertrag mit den Herzogen zu Sachsen / viel ehrliche Leute / so ob justissimum timorem sich der Stadt eussern müssen / wiederumb in Erfurth kommen / und wiederumb ein ordentlich Regiment zu führen angefangen haben.

Idem repetunt anno 1608. art. 520. 521. *Quicquid aduersus hæc allegatur in longa & perversa seditiois hujus enarratione, ex ore & calamo seditiosorum fluit. Ex illis enim Senatus novus & putativus professus est, sibi vim non esse factam, (fol. 60) Illi potiores partes Moguntinis deferebant, (fol. 61.) Illi Saxonis Principibus certa & liquida jura & titulos in controversiam vocabant, literis dictatu Moguntino, ut constat, Scriptis. (fol. 61. 62.) Nihil agitur testimonio hoc malè feriatorum hominum, donec absolvantur seditiois crimine, cujus tamen suo, & totius Germaniæ judicio, damnati sunt. Hæc suffecerint ad narrata in his foliis. Obiter notandum, non benè memores esse dictorum, qui Scriptorem Saxonicum novæ & inauditæ opinionis & asserti insolenti exemplo Principibus suis Principatus, toties in hac assertionem reum agunt; cum tamen hic ipsi fateantur & Thunium*

Ejus

Equitem, & Saxonicos ad Molhusinum Conventum Legatos, idem asseruisse, vel ut loquuntur (p. 60.) *Consilia molitionum suarum de pratensa jurisdictione in Erfordia nudasse.* Imò epistolis ad omnes Civitatis ordines scriptis declarasse, se Principes Provinciae, Erfurtenses suos Landsassios & homagio devinctos esse. (pag. 62.) Nihil itaque novi asseruit Justitiæ Saxonicae defensor. Dicta etiam Saxonica majori longè modestiâ olim excepta fuere. Allegavimus enim signanter verba Moguntinorum Legatorum, oppositum à Saxonis jus territoriale, illâ phrasi: *Als die Fürsten/ in deren Land die Stadt ligt*) circumscriptentium: cum ab assertoribus nostris contra rerum & sensuum testimonium etiam situm hunc negari audiamus. (videatur lepida parenthesis p. 62. lin. 9.) Aequior etiam erat Uriel Archi-Episcopus, qui Principibus hunc in modum inter alia literis §. 19. *Justitia Saxonica* allegatis, respondit: *Unser Gemüth ist nit gewesen / euch euers Schuges und Schirms gegen den unsern von Erffurth einigen Abbruch zu thun. Denn wir wissen / daß sie des mercklich nothdürfftig seyn / und in diesen ihren anligenden Nöthen / noch mehr bedörffen werden/ &c.*

An divinare ex his literis potuerunt Principes interpretationem, quæ hîc pag. 58. de protectione extra urbem assertoribus Moguntinis in mentem venit, alii judicent. Nobis religio est de Principum verbis & mente, Sophistarum more, cavillari.

Pag. 62. 63.

Ad interrogationes hîc cumulas responsum ab illis petendum est, qui statuerint, *Senatum omnia pro arbitrio agendi facultatem habere*, cives nunquam rationes postulare, aut de rebus ad salutem suam pertinentibus inquirere posse: Senatui licere tonnas auri, insciis civibus, elargiri, & alia ejuscemodi! Neque enim hæc dixit Scriptor Saxonicus aut dicendi causam habuit. At liceat etiam nobis querere: Sitne jus Civibus, rationes à Senatu exacturis, per tumultum arma arripere, Magistratum curiâ deturbare, rationes offerentes indictâ causa, in carcerem conjicere, tormentis barbaro more per multos dies continuatis, ad confessiones, quas volunt, adigere? Liceat ne plebi infanæ & imperitæ libertatem & statum Urbis moderatû, tanto impendio pecuniæ & sanguinis quæsitum, mutatâ per impetum totius regiminis formâ, evertere, seq;

H 3

& p.

& posteros primum in ochlocratiam, deinde in absolutæ dominationis periculum præcipitare? Nempe sanus hæc affirmaverit, itaque

Est aliquid inter Tam in socerumque Viselli,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Si peccaverat Senatus, cur non legitimo more audiebatur, quod Saxo-
nici urgebant, operam ad puniendos, qui criminam convicti forent, of-
ferentes? Statimne, ob administratorum delicta, totius administratio-
nis ratio & forma reipublicæ conturbanda, & ad puram putam Demo-
cratiam reducenda est, quod factum esse, infra ostendemus? Rectè fe-
cerint itaque Britanni, & ex Quakerorum disciplina, qui regno, malè ut
ajebant, administrato, subrogârunt aliam formam, & rursus aliam. Ru-
sticos etiam Germanos superiori seculo tumultuantes eodem modo
excusaveris, licet gravati in aliquibus, quod nemo negaverit, omnem im-
perandi parendique ordinem convellerent. Cætera, quæ hîc interse-
runtur de vero Principe, & de seditiosorum nomine & crimine, nihil
attinet iterum & sæpius examinare. Sed urit illos, quod *per modum*
tonnarum auri elargitus est Senatus Erfurtensis, insciis civibus, pecu-
nias, ad protectionem Saxoniam, ut blandè ajunt, confarcinandam,
Hîc largitionem illam factam esse insciis civibus, nemo crediderit. In-
scii licet fuerint turbatores illi, terræ filii, qui an. 1509. post annos 25,
ignorantiam hanc tumultui prætexebant, non alio fine, quàm ut tribu-
torum debitum onus detrectarent, quo exemplo etiam, qui an. 1648.
res novârunt, statim vectigalia & tributa omnia, autoribus Moguntinis,
sustulerunt, magno cum fœnore immunitatis illius brevem usum mox
redempturi. In conscientiam pactorum cum Saxonis venêre omnes,
qui antiquo more & ritu ad res tales gerendas requirebantur, testabun-
tur id acta urbana, loquitur ipse stylus pactorum & sigillum majus ap-
pensum. Rationes etiam publicæ, succedenti Senatui quotannis red-
dendæ, latère non patiebantur, quæ transacta & soluta erant. Offere-
bat Senatus plenam & sufficientem demonstrationem, quo fine, quâque
necessitate æs alienum contractum esset: quæ fuisset ratio summam
illam pecuniæ, tam Saxonis, quàm Moguntinis solvendi; quanti con-
stitissent, urbis & arcis S. Cyriaci munimenta, quanti expeditio ad No-

vesium & alia, sed surdis omnia auribus narrabantur. Plebejis animis
jam illâ doctrinâ imbutis, quâ spirant etiamnum Assertores: Nihil
scilicet opus fuisse protectione Saxonica, pecuniam illius causâ nullo
jure, aut emolumento solutam: Oligarchicam dominationem stabiliri
hâc protectione, cives ad omni arbitrio rerum removeri; nihil illis re-
linqui consilii aut facultatis adversus Senatus administrationem & ab-
solutum regimen, pro lubitu exercendum. Sed benè est, quod & illam
plebeculam non multò post pœnituit doctorum suorum, & pecunia ex
pacto rectè soluta nec reddita est, neque reddi post duo secula metui-
tur; laboris verò & odii per annos illos septem à Moguntinis susce-
pti, alius ipsis natus non est fructus, quàm quod technis patefactis lite
hactenus inexplicabili cum civitate commissi sunt; cives verò lubenti
animo ad protectionem Saxonicam redierunt, ejusque salutare in publi-
cum, pro libertate sua civili & ecclesiastica, effectus senserunt.

Ad pag 65.

Fatuum plebem Erfurtensem in extremas calamitates anno 1509.
præcipitatum, duobus potissimum modis solati sunt Moguntini, quibus
conservatorum Erfurtensium titulum meruisse hîc dicuntur. *Unus* erat,
procuratio *moratorii* adversus creditores Civitatis, *alter* *aversio fulmi-*
nis, ut loquuntur, *Cæsarei*, sive proscriptionis tumultuantibus intentatæ.
Ex moratorio nullum ad Civitatem fructum pervenisse, uno ore Chro-
nici Erfurtenses feribunt, & acta testantur, diploma illud properanter,
& causâ non cognita impetratum, & Principibus subditisque Saxonis,
Civitatis creditoribus, intolerandum, nullarum fuisse virium. Proscri-
ptionis impeditæ gloriâ, si gloriosum est, extrema meritos justæ pœnæ
subducere, non defraudabimus Archi-Episcopum; ita tamen, ut ad Fri-
dericum Saxon. Electorem veri beneficii laus redundet, qui moderatius
insistendo juri suo, benignæ potiùs transactionis tempus expecta-
vit, quàm severo illo & ultimo rigoris gradu, Urbi exitium maturare,
aut ejus redimendi intolerabilem sumtum injungere voluit. Utinam
his quoque temporibus aliis ea esset æquitas, nec, quod in laudem Ar-
chi-Episcop. hîc allegatur, summo vertatur vitio Principibus Saxoni-
sis, quod à clientium suorum capitibus proscriptionis imperialis *ful-*
men ejusque periculum, vel *tricas forenses*, ut ajunt, aversum eunt.

De-

De laudatione & concessione protectionis Saxonicae postea videbimus.

Pag 66. 67. 68. 69. 70.

Ad capitalem de Jure Principatus in Erfordiam, & titulo Principis quaestionem majori denuò irâ & importunitate reditur: Sed eadem per omnes lineas asserendi, quæ controversa sunt, perpetuâ confidentia; Igitur mera asserta merâ refellimus negatione.

Nota magis nulli domus est sua, quam nobis assertio hæc, quâ obtundimur, Jus Moguntinum in Erfordiam est jus Principatus, est superioritas, est Landes-Sürstliche Obrigkeit.

Sed argumenta, non repetitas jam toties assertiones, multò minùs convitia expectabamus, quæ pro numero paginarum augmentur & intenduntur. Confessioni Senatus, qui in judicio contradictorio adversus Saxones causam dixit, notabili & irrefutabili, æquivalentem pro Moguntinis opponi poposcimus. Sed nobis ejus loco seditiosa plebis intra Urbem, stylo Moguntino, quod probari potest, usæ, blandimenta occurrantur, explosa dudum non à Saxonibus tantum, sed & à Senatu legitimo postsecuto, quotiescunque ejusmodi testimonia tumultuantis illos intra annos plebis, Civitati opposita fuere. Exules ita loquentes, aut Erfurtenfes lite contestata cum Moguntinis in judicio certantes producant, si testimonii ab adversariis petiti gloriam nobis præripere velint. Verùm, ut audimus, Attestato Cæsareo plebejæ istæ & tumultuariæ confessiones munitæ sunt an. 1613. de hoc enim gloriantur pag. 68. in fine. Nulla fuerit nec impudentia, nec temeritas contra attestatum nunquam visum, jura & Principum & Civitatis, non citatorum, nec auditorum masculè pro concessa in imperio libertate, asserere. Si confessiones de jure Principatus ante turbas & contentiones, *in turbis & contentionibus, & in forensi conflictu factæ, consideratæ, excussæ, in probationum genere receptæ sunt*, ut, tanquam apud ignaros, declamant, (pag. 69.) quid opus fuit, attestatis novis impetrandis & dandis, Archi-Episcopos Electores & Cæsarem frustra fatigari. Suspecta est hæc solertia, neque ex Principum consuetudine, argumenta superioritatis contra subditos, tam manifestè confessos & condemnatos clanculum conquirere. Stat itaque immota, & sua luce radiat, quam ex

ver-

vi-
ci-
eâ-
nfi-
ob-
pe-
inûs
ten-
rfus
Mo-
s in-
oc-
le-
ntis
ven-
tan-
ari-
&
ian-
ntra
ato-
ere-
nes,
ex-
de-
lan-
ecta
rio-
lan-
n ex
ver-

verbis & scriptis Exulum, imò ex Senatûs seditiosi dictis allegavimus, diserta & distincta Erfurtenſium in hoc consentientium professio, *Archi-Episcopum Moguntinum esse Civitatis Dominum hereditarium & judicem*, etiam, ut ajunt (neque nos, si judicia ordinaria, in singulos cives, cum superioritate territoriali non confundantur, repugnamus) *ordinarium*, *Duces Saxonie esse ejusdem Civitatis Principes territoriales, Landes-Fürsten*. Quàm facilè fuisset Senatui, Moguntinis obnoxio, & per Juris-Consultos Moguntinos loquenti, titulum illum Principis Moguntino Electori tribuere. Sed id non fecit Senatus iste, non hic, non in literis illis an. 1511. in quibus tamen profitetur, se *plusquam fecissent predecessores, pro Moguntinis facturos*; frustra itaque de confessione illorum tantæ projiciuntur ampullæ. Nam verba *Obrigkeit / Unterthanen / Erb-Herrze.* etsi, ubi de alio non constat Principe, æquipollere possint voci Principis, hoc tamen casu, quo Principis territorialis *axioma aliis tribuitur*, nisi per summam absurditatem & violentiam pro æquipollentibus haberi nequeunt. Quo autem sensu utraq; vox Principis territorialis & Magistratus, sive Domini hereditarii accipi, & cum statu Principum & Civitatis, ad perpetuæ pacis & concordie stabilitamentum, consistere possit, ex suprâ dictis judicatu facilè est, eoqve pertinuit pollicitatio Principum Saxoniorum, voce Principis nihil contineri adversus veterem Urbis statum, aut contra jura metropoleos Moguntinæ. Hanc oblationem amicam & candidam tum demùm hostiliter exagitandi tempus erit, quando, quæ subjungitur thesis, probata erit, & credenda injungetur Saxonie Principibus: *Jus Metropolis Moguntinæ esse jus Principis in Erfordiam*; tunc enim valebit confectarium illud pulcherrimum *statum Urbis in eo niti, ut sit & maneat Civitas Moguntina, & administratione utatur, qualem Moguntinâ accepit absq; omni Saxonico arbitrio*. Cætera in Principes hic conjecta pudet referre, neque magis opus est, ut ad quæstiones pag. 70. ingeminas respondeamus. Larvis enim eas non nobis objiciunt. In hoc tamen faciles erimus, ut non omnis mutatio statûs urbani improbanda sit, sed ea tantum, quæ fit in deterius, ad lubitum petulantis plebis: qualis jam sæpius, annitentibus, & de præstitâ operâ gloriantibus Moguntinis, invecata est. Non enim redacta est in ordinem Senatûs autoritas, sed prostrata & profligata penitus, non fuerunt temperatæ post legitimam

cognitionem molitiones Oligarchicæ, quas Saxonici Principes semper sunt averfati, sed inducti sunt nocenti exemplo tyranni ex infima plebe, sed & hæc alterius loci sunt.

Ead. pag. 70.

Indubitabili fide actorum constat, Bobezahnium non convictum fuisse proditionis, sed confessionem, tormentorum inauditâ crudelitate expressam, ad mortem usque revocasse, & Georgium Saxonie Ducem (cujus cum ministris aliqua erat Bobezahnio familiaritas, nulla cum Electoralibus,) evidentissimè detexisse, & refellisse calumniam, nullâ necessitate protervè hîc renovatam, meritâque severitate repellendam, nisi justæ etiam ultionis moderamen constanter tenere instituissemus. Quod si tale aliquod consilium, ut Saxonicum præsidium ad motus tandem aliquando componendos intra Urbem reciperetur, agitatum eo tempore fuisset; nulla tamen inde vel proditionis infamia metuenda, nec Urbis à vero Domino ad alium trahendæ periculum fuisset, non majus sanè, quàm cum dirutis olim Erfurtensium à Landgravio muris, mansit tamen, quantum par erat Archi-Episcopis Moguntinis.

Pag. 71.

Edictum de pace servanda ab Archi-Episcopo, ut hîc refertur, propositum, non magis probat affectatum in Urbe Principatum, quàm cætera durante hoc tumultu gesta. Neq; illius pacis ullum fuit emolumentum, turbis eo ipso anno violentius, quàm unquam, continuatis: De literis, quibus seqvela militaris Alberto Archi-Episcop. promissa dicitur, infra agemus.

Pag. 72.

Moderationis Saxonicæ laudem non minuent immanes, quæ hîc eructantur, criminationes. Si lubet religiosorum & clarorum virorum testimonia de Moguntinorum ministrorum superbia cognoscere, producentur non gravatè, & potissimùm Staupicii Augustinianorum Erfurtensium eo tempore Prioris literæ, quibus amplissima dictis fides fiat. Quod autem hîc asseritur, Erfurtenses non aliâ ratione adversus injurias Moguntinorum sibi prospicere posse, quàm delatis ad Archi-Epi-

Episcopos humilimis querelis, id impertinenter allegatum assertumque existimamus, donec prius evictum fuerit jus absoluti Principatus. Nam ad dominantem & absolutum quidem, non aliâ itur viâ, & finis omnium, cum tali, sermonum, est gratiarum actio. Moderationis etiam Saxonicae laus suo stabit loco, etsi Principes durante seditione hostium loco habuerint, non Civitatem universam, cujus optimates in oppida sua receperant, sed præ aliis petulanter tumultuantes. Sed moderatio erat, quod tot injuriis provocati, Urbem ipsam non obsidione cinxerunt, comæatu intercluserunt: pagos, feuda sua, occuparunt. Quæ omnia non erant difficilia Saxonica Ducibus, autoritate, & opibus suis & sociorum instructissimis. Possunt ostendi literæ Friderici Electoris, oblatam à Principibus magni nominis in eam rem operam recusantis, quosdam etiam, qui calidiores erant, ad patientiam commonefacientis. Relatio etiam extat ministri Electoralis ad Maximilianum Imp. missi, post sedatas turbas, qui verba Imperatoris renunciavit, querentis de bellis à se nullo, ut agebat, fructu gestis; laudantis verò Friderici Electoris moderationem & sapientiam, quod ab armis sibi adversus Urielem Archi-Episc. Moguntinum temperasset.

Pag. 72. 73 74. 75.

Mirari non debemus, quod contra transactionem cum Civitate à Principibus an. 1516. initam tantopere sæviunt, quibus fixum immotumque est, nullum non acerbitatis & contumeliæ genus, ubi de legitima probatione & refutatione desperant, ad causam, cui serviunt, patrocinium conquirere. Transactionem factam esse constat: an pravis artibus facta sit, an magistri perfidiæ nomine proscindendus sit Hennigus Godenus Juris-Consultus eo tempore celebris, & collegiatae Ecclesiae Erfurtensis ad S. Mariam Præpositus; an Saxonici ministri, aut ipsi potius Principes (nam protectorum nomen ministris impertinenter tribuitur) *scelerum* protectores impunè dici debeant, iudicium erit extra partes constitutorum. Exules non transegisse cum Principibus fatentur, eaque ratione dicta olim corrigunt assertores; sed consilium tamen ad transigendum præbuisse causantur. Demus hoc, etsi de eo non constet, nec verisimile sit exules plebi etiam eo tempore invisos, aliquid operæ ad eam rem conferre potuisse: quos etiam post transa-

tionem non nisi aliquoties moniti cives, in urbem receperunt. Ipsa transactio inculanda infirmadaque est, aut seditionis & perfidiae convincenda, antequam consultores & autores ejus hunc in modum exagitantur. Nihil verò præter convitia & repetitam millies Principatus Moguntini assertionem objicitur transactioni, quam inuit Civitas, libera & tunc, & in præsens, ab absoluto Principatu Moguntino, & inuit magna cum lubentia & lætitia. Testantur id literæ ad ipsum Archi-Episcopum scriptæ. Cum enim is exostularet de transactione se in scio, & contra promissum, de proseguenda pariter lite, cum Principibus Saxon. celebratâ: Respondit Civitas, sæpius imploratum à se Archi-Episcopum, ut media ad pacem cum Saxoniarum Ducibus, quâ carere Civitas non posset, inveniret, (damit wir mit hochgedachten unsern gnädigst und gnädigen Herren zu Sachsen in einer benannten Zeit wiederumb in Einigkeit und Gnade möchten kommen) cum nihil præstitum esset, neque ipsis consultum, perpetuis litibus & bello implicari, divina misericordia discordiam sublatam, & concordiam reductam esse, Gott der Allmächtige habe aus seiner Göttlichen Barmhertzigkeit solche zweyläuffte zu Einigkeit gefügt. Cujus effectus recensent, de impetrata denuò protectione Saxonica, de libertate commercii, de optimis civibus in Urbem magno numero reducendis, daß die Stadt weiter unverwüestet/ und mit gehorsamen statlichen Bürgern wieder erfüllet und besetzt bleibe / subiciunt, unsere besessene und redliche Bürger haben auch obvermeldete wieder erlangte Gnade / Einigkeit und Friede / mit Dancksagung GOTT dem Allmächtigen und Frolocken gemeiniglich alle angenommen und gewilliget / und ob hie noch etliche unverständige leichtfertige oder unbegüterte Bürger weren/ die ihrem Unverstand nach Friede/ Bedenken und Aufnehmen nicht lieben/ und mit ihren heimlichen angehetzten Hinterlisten darwider weren/ doch dieselben nicht zu achten/ und wegen ihres Unverstandes zu straffen.

Tandem ad postulatum, ut transactionis formulam Archi-Episcopo mitterent, respondent, non consuevisse Civitatem de iis, quæ cum Saxoniarum Principibus tractaret, rationem Archi-Episcopis reddere, aut exempla pactorum mittere, neque id Archi-Episcopos olim postulasse, (dieweil denn auch unser und der Stadt Gewonheit und Gebrauch nicht ist/ unserer Handlung mit den Chur- und Fürsten zu Sachsen/ unsern
gnädig

gnädigsten Herren/des Erb-Bischoffs zu Mainz Chur-Fürstl. Gn. Copen
zu übersenden/dasselbe auch vormals von uns nicht gesonnen/wollen wir
uns des zu E. Chur-Fürstl. Gn. unbefahrt derhalben einiger Ungnade/
auch vertrösten.) *Scripta hæc sunt an. 1517. mense Januar. responsa nempe
ad literas Alberti Electoris Veneris post Trium Regum. In quibus Cas-
sationis Cæsareæ ne verbulo quidem uno meminit, pro qua exaggeran-
da tot verba atque minas hic consumunt assertores. Imò verò ad li-
teras illas Civitatis, non eâ, quæ hodiè præter morem & exemplum ex-
ercetur, iracundiâ, replicavit Albertus Cardinalis, Brandenburgici sanguinis
heros, Magdeburgensis etiam & Halberstatensis præsulatus dignitatibus
& opibus verendus: sed hunc in modum respondit Martis post Leta-
re 1517. Sibi quoque cura fuisse, non tantum, ut litem prosequeretur, sed &
ut amicè cum Principibus Saxonis cognatis suis transigeret, malè verò
fecisse Erfurtenses, quod ipso, dem rechten Erb-Herrn inconsulto, contra
promissum de litis consortio fideliter custodiendo, veterem illam transactio-
nem (des Erb-Schusses) magno cum Archi-Episcopatus & Civitatis de-
trimento olim initam, renovassent: cum tamen, si hæc ipsis mens fuisset, se
interveniente meliori & commodiori ratione transactio cum Principibus
fieri potuisset; sibi itaque constitutum esse, pactum illud à prædecessoribus
suis (ut ait) semper oppugnatum non agnoscere, sed coram Cæsarea Maje-
stare contra Principes Saxoniae & Exules Erfurtenses litem prosecuturum
esse, neque de victoria causa dubitare, &c. Alberto itaque non venit sci-
licet in mentem cassationis Cæsareæ, ante menses sex impetratæ; per
quam tamen tota transactio, & veteris protectionis renovatio, si novis
hiscæ propugnatoribus credamus, adeò funditus eversa est, & abolita, ut
qui hodiè transactionem illam allegat, in ipsum peccet Cæsarem. Cui
dicto, ut colorem appingant, p. 74. muginantur, novas prætensiones à Sa-
xonis actitatas fuisse, & earum causa litem in aliud tempus rejectam.
Persvadere hoc commento cupiunt incautis, ac si non Moguntini &
plebs Erfurtensis, sed Saxones actores in illa lite fuissent, quod præter
notorietatem actorum, vel literis, quas modò allegavimus, Alberti, ma-
nifestissimè refellitur, nam se actionem prosecuturum esse recipit. (verb.
Wir gedencen/unser angefangen Recht wider die Fürsten von Sachsen
und außgetretene Bürger vor Kayserslicher Majestät zu vollführen) me-
minit etiam interlocuti Cæsarei, à nobis in expositione jam allegati, quo*

ad actionem Moguntinam respondere jubebantur Saxonie Principes. Itaque luce meridiana clarius est, nullum fuisse cassationis Cæsareæ effectum, quàm ut exceptionibus contra mandatum illud Cassatorium, ab Erfurtensibus & Principibus Saxonie propositis, & ab Imperatore acceptis, actionis prosequendæ, sive mandati, ut ajunt, reproducendi necessitatem Moguntinis injungeret, reis eo ipso in possessione eorum, quæ transigendo acquisiverant, relictis; quæ omnia rescriptis Cæsareis postsecutis, & ipsi experientia examussim congruunt. Nam Maximilianus Imperator literis 18. Martii 1517. ad Electorem Moguntinum datis, in quibus amicæ transactionis inter Principes curandæ, negotium in se suscipit, expressè statuit, *se litem totam interim suspendere.* Wir haben dar auff die obberührte rechtliche Handlung obgedachter Meynung dismals also im bestē eingestelt. *Juris nō prosequens, & ordinis judiciarii periti judicabunt, an Actor litem à judice suspensam iis validè post annos centū & plures uti possit, quæ ante suspensionem impetrata, à reis contradicta, per suspensionem verò sopita, nec unquam postea suscitata sunt.* Non magis itaq; mandatum istud cassatorium juvat Moguntinos, quàm Saxonicos juvaret allegatio mandati monitorii adversus Erfurtenses seditiosos de proscriptione impetratum, cujus prosecutionem & ipsi impetrantes neglexerant.

Denique mandatum illud cassatorium non eò tantum tendebat, ut nova illa transactio anno 1516. sed ut ipsa potius protectio (quod & manifestè indicant literæ Alberti paulò antè citatæ) aboleretur. Imperator enim non solum jubet Erfurtenses à novo pacto statim (angesichts) recedere, exules non recipere, si quos recepissent, iterum ejicere, sed & vetat eos in protectionem Saxoniam concedere. (in keine Einigkeit/Schutz und Schirm kommen:) Nihil ex his fecere Erfurtenses, sed ut diximus, exules receperunt, protectionem læti ac lubentes coluere, idque se facturos esse Cæsari scripserunt, allegatis rationibus. Cæsar ad has preces Civitatis & Principum, nequaquam motus querelis Moguntinis, litem totam, mandata & rescripta omnia suspendit. Archiepiscopus, ut ipsi incumberebat, quodque in literis suprâ allegatis facturū se receperat, non prosecutus est litem, nec adversus exules, nec adversus Saxonie Principes, sed quasi nihil actum esset, novam actionem instituit, novos reos quæsiivit; convenit enim non Exules, non Principes,
sed

sed prioris litis suæ consortem Senatam Erfurtensem, & conventionis
in Camera Imp. an. 1522. cœptæ capite secundo, Protectionem Saxoni-
cam aboleri petiit, desertâ penitus prioris lite. Hæc profectò tam sunt
manifestæ veritatis, ut nihil iis opponi possit, nisi per evidentem calu-
mniam & contumeliam, & in jactata tamen cassatione ita sibi placent
atque fidunt Assertores, ut spectæ Cæsareæ Majestatis arguant Princi-
pes & Ministros Saxonicos, qui audeant transactionem anno 1516. al-
legare. Cujus effectus ad hunc usque diem durant, non minus irritâ
actione Moguntina in Camera per sententiam an. 1578. latam, quàm
irritum fuit mandatum illud anno 1516. Et quis læsæ majestatis vel
accusavit, vel convicit Erfurtenses, illam ipsam transactionem, non ob-
stante cassatione illâ recentissima, apud Archi-Episcopum in literis,
quas notavimus, cum amplissimo elogio laudantes, & coram supremo
tribunali sæpius & notabiliter in libello anno 1605. art. 507. tum scri-
ptis publicis allegantes. Ipsi etiam Augustissimi Cæsares, Maximilia-
ni successores, in investiturarum literis Serenissimæ familiæ Saxonice
datis, protectionis in Erfordiam titulum & jus nominatim concedunt,
pessimo exemplo id facturi, si mandatum illud cassatorium ullo modo
validum mansisset, quod ad suggestiones Moguntinas omnem prote-
ctionem penitus inhibuit, ut ostendimus.

Pag 76.

Non adeò tamen securi incubant Cassationi illi Cæsareæ, tanto
cum stomacho jactatæ, quin alia etiam quærant effugia. Ajunt igitur
transactione anno 1516. non obtineri aut exerceri jus Principis; statu
enim regiminis sic vel aliter constituto, jus Principis nihilominus sub-
sistere. Sed sufficit Saxonis Ducibus, non quæsti quidem de no-
vo, sed exerciti Principatûs in Thuringia illustre documentum dedis-
se, restituti regiminis in pristinum statum, etiam contranitente illo, qui
se Principem Civitatis credi volebat. Talem actum ad jus Principis
non pertinere nemini persvaserint. Restitutionem verò status, sine
ulla contradictione & literæ Civitatis evincunt, & confessio ejusdem,
post tot annos reiterata, & rerum ipsarum evidentia, de qua in loco
amplius dicendum erit. Oligarchiæ defensio nunquam cordi fuit

San



Saxonis Principibus, nec reducta anno 1516. prioris regiminis forma ullo colore oligarchica dici potest; Ea enim ipsa est, quam descripsit *expositio* §. 33. Quis verò plebejam licentiam in cœlum evehere cupiat, interrogandi aut exclamandi causam illi non habent, per quos solos licentia illa inuenta est, & procurata tum anno 1510. tum anno 1650. reclamantibus non Principibus tantum Saxonis, sed omnibus bonæ & sanæ mentis civibus: quibus tamen illa renitentia summo hætenus fuit periculo.

Pag. 77. 78.

Adversus 130. annorum allegatam à Saxonis, status Erfurtensis, non *Oligarchici*, ut cavillantur, sed legitimi, & antea etiam ab ann. 1310. usque ad an. 1509. eodem modo per duo secula servati, continuationem, nescio quo dilemmate in neutram partem acuto, pugnaturi, primò de privilegiis Moguntinis veterem ordiuntur nãmiam, cui toties respondere non vacat. Neque Cæsareo mandato aut privilegio opus habuit civitas, privilegio generali ab omnibus Imperatoribus impetrato, & Landgravicis, non Moguntinis concessionibus, ut probavimus, innixo de jure suo certa. Itaque nec præscriptionem nisi ex abundanti allegavimus. Allegari tamen potuit optimo jure, neque *vel in cœlo vel in terra* quærenda est, quæ Erfordix omnibus obvia fuit, status à Saxonis restituti triseularis perpetuitas. Quæ autem mala fides objici potest Principibus aut civitati, nihil clam, aut remotis arbitrariis, neque vetante Cæsare, neque contra veterem ducentorum annorum formam gerentibus, sed *innovata* (ut dicitur *in transactione 1516.*) tollentibus? Cæsatorii enim mandati nullæ fuerunt vires, quantumvis hic exaggerentur. Sed contradictum tamen est Principatui Saxonico: Quid tum? dictis inanibus facta legitima opposita fuere, & hæc est vivida iustitia. Impugnatum verò etiam est protectionis Saxonice jus & exercitium: sed nullo successu, deserto mandati processu, & perdita in Camera secundæ conventionis causa. Vident Assertores nihil magis sibi obstare, quam continuarum hoc protectionis fœdus cum statu Civitatis; Itaque statum ipsum inter minuta habent,

bent, circa quæ hæere non fuerit opus; & civitatem, restituta an.
1516. seditiosis, ad seditionem rediisse ajunt; At nobis minuta il-
la sufficiunt, placeant sibi prætensæ omnimodæ titulo & imagine:
Nos rem teneamus, civibus libertatem & regimen temperatum,
provincia pacem servemus. Seditiosos verò Erfurtenles semper
& perpetuo fuisse, ab anno scil. 1516. usque ad annum 1647. quæ
fronte dicatur, omnes vident. *Seditiosi* scilicet sunt, quando à legi-
timo magistratu gubernati, Archiepiscopis, quæ debent præstant, aut
controversiis obortis, legitimo disceptant judicio, juraque sua con-
cesso defendunt modo. *Seditiosi* sunt, cum ab Imperatoribus omni-
bus & singulis per hos annos centum, & quod excurrit, privilegiis
ornati, & bonorum ac fidelium civium elogio toties honorati fuere.
Sed *seditiosi non sunt*, quando ea perpetrant, quæ ab anno 1509. ad 1516.
perpetrasse supra diximus: *seditiosi etiam non sunt*, quando ann. 1647.
1648. pristini status convulsione in præsentia inciderunt pericula.
Ita computatâ civitatis ætate, vix centesimam partem tempotis abs-
que seditione fuerint, aut semper potius seditiosi, cum semper omni-
modam illam negaverint, etiam in medio seditionis anni 1509. æstu
Principatum Saxonicum coram judicibus Cæsareis confessi. Eo-
que etiam seditiosi fuere Principes Thuringiæ, qui donationem Ot-
tonianam susque deque habentes, Imperatori & Imperio, non sedi-
Moguntinæ principatum provinciæ debere se existimarunt.

Pag. 78. 79.

Albertus Elector Moguntinus dictus nobis est scivisse & passus
esse transactionem anno 1516. & quæ inde ad Saxonica familia jura
deducuntur, eamque scientiam & patientiam nobili documento cele-
brasse, cum arbiter fuit inter Saxon. Electorem & Civitatem Erfurten-
sem anno 1533. Quid agunt, quidque non agunt ad hæc non refutan-
da, sed cavillanda? omittimus jam plurativam vocem, *Berträge* / pro
singulari expositam; sed quæ manifestior esse potest cavillatio, quàm
illâ, quâ verba, *die Berträge sollen in ihren Würden bleiben* / interpre-
tantur, *relinqui pacta eo loco, quo erant, controverso nempe*. Verba trans-
actionis 1533. titulo 12. hæc sunt:

Und nachdem sich sonst mehr Irrungen enthalten/so sol-
len

ten dieselbige alle / auch die / so sich zukünftig zugetragen möch-
ten / ihre örterung nehmen / Vermöge der Verträge / so zwischen
dem Hause zu Sachsen / und denen von Erffurth / auffgerich-
tet / welche allenthalben ihres Inhalts bey Würden bleiben /
und gegen einander verfolget werden sollen / da dem nach bey
de Theile die ihren auff den Tag Purificationis Mariæ gegen
der Naumburg auff den Abend einzukommen / in denselbigen
Irrungen / vermöge der Verträge / zu handeln.

Hic merito exclamare liceret, *phrasi pag. 79. Potestne in hominem
sanum cadere hac cogitatio?* ut scilicet hæc dispositio nihil aliud con-
tineat, quam pacta in loco & statu suo relinqui, (*i. e. ut dicere solemus*)
im Werth und Unwerth. Albertus primum generatim statuit,
transactionibus inter Saxones & Civitatem factis, *valorem suum ma-
nere, & eis mutuo stari debere;* deinde ex articulo pactorum, (quo in-
evidens detrimentum omnimodæ Moguntinæ, Erfurtenses à Principi-
bus conventi, arbitrio delegatorum & Episcopi Namburgensis sese sub-
miserunt) locus & dies constituitur, quando vi pactorum de controversiis
coram arbitris disceptandum esset. Quod etiam factum est, testanti-
bus, quæ extant, actis. An verò Albertus habuerit animum ratifican-
di pacta cum Civitate Saxonica, nos quidem non inquisivimus, existi-
mantes, cum non Principi tantum, sed unicuique viro bono animum
esse, quem verbis exprimit. Cautelæ verò illius argutia, quâ non Prin-
cipes, sed novò judicio Erfurtenses in Camera oppugnavit, quâque
personam Archi-Episcopi Magdeburgensis in transactione hac sum-
sit, liberari cupimus Principem eo loco natum, eamque imputare
consultoribus, quales hæc nobis sistuntur, qui etiam in promptu habent
respondum de defectu consensus capitularis, quem si in pollicitationi-
bus hodiernis desiderant Saxonici aut Erfurtenses, pro fatuis aut vio-
latoribus Electoralis & Episcopalis dignitatis exagitantur, & retundun-
tur grandi acroamate (*Pag. 93.*) *etiam Ecclesiasticos Principes eo jure
Principes esse, quo quis unquam fuit.* Restat, ut nesciverit Albertus in
foedere protectorio latere jus Principatus. Ille scilicet, nesciverit, qui tot
super hac ipsa quæstione cum Principibus Saxonice literas commuta-
vit, tot Principum interventu transactionem tentavit, non unâ vice Le-

gatos Vinariam misit, quorum negotiatio semper ad hunc scopulum
impegit: Ipse tamen, desperata licet transactione, culpam in capitulum
rejectam, amicissimis literis testabatur, sibi constitutum esse, dum viveret,
firmam cum Saxoniarum Principibus pacem colere, neque illorum iuribus
in Erfordiam derogaturum esse. Capitulum nempe eò inducere vole-
bat Principes, ut dimisso universalis Principatus Thuringici axioma-
te, particularibus in Erfordiam iuribus insisterent, quo ipso sperabant uni-
versalem five omnimodam Jurisdictionem Moguntinam stabilitum iri.
Ostendunt hoc, quas indigitavimus literae Alberti, datae Halis Martis post
Sexti 1521. his verbis: Unser freundliche Dienst zuvor / Hochgeborner
Fürst/lieber Oheim/dem Abschied nach/so wir mit E. E. am nechsten auff
dem Reichs Tag zu Worms genommen/ haben wir bey unserm Thum-
Capitul zu Mainz angehalten/in einen Anstand zwischen E. E. und uns/
unser Stadt Erfurth halben/beyder unser lebenslang auffzurichten/zu ver-
willigen / und von gedachtem unserm Thum-Capitul diese Antwort be-
ständig darauff erlanget / daß sie zu keinem Anstand berührter massen zu
willigen wissen/es were denn Sache/daß die Articul der Berechtigkeitt/so
E. E. in berührter unser Stadt Erfurth zu haben vermeynet / bey ihnen
nambafftig gemacht werde/wiewol nun solches keine Fortgang erreicher/
so seyn wir doch nit geneigt/E. E. an der Berechtigkeitt/so sie der Ende von Bil-
ligkeit hätten/oder haben sollen/Eintrag oder Beschwerung zu thun/versehen
uns auch/E. E. solten sich dergleichen gegen uns auch beweisen/freundlichen
Willen und Nachbarschafft zu halten/te. Sed tam obesa naris non fuere
Principes, ut à culmine Principatus sui detrusi, in salebris particularium
jurium haerent, maxime cum certo certi deprehenderent, locum illum
à se relictum, statim à Moguntinis occupatum iri. Et haec fuit vera & ge-
nuina causa, estq; etiam nunc, ut sincerè non semel priori Scripto monui-
mus, omnis controversiae, & interruptae transigendi spei. Hoc ne ex
nostro ingenio videamus promere, aut ex temporum nostrorum actis de
praeteritis securius conjicere, utq; simul ostendamus, quam nullus pudor
sit negantium, Albertum ignorasse Saxonici Principatus assertiones, ad-
scribemus acta cum *Laurentio Truchsessio Decano Moguntino*, cum ab
Alberto ad Saxoniarum Principes mitteretur.

Laurentius itaq; duo haec transactionis capita concepit, quae extant
manu illius subscripta, 1. Ut Saxonici Archi-Episcopum Moguntinum

sine ullo impedimento habere patiantur omnes Superioritates, jura & dignitates, (*Obrigkeiten/Rechte und Herrlichkeiten*) quæ jure ad eum, *tamquam ad verum Dominum hereditarium*, spectarent, & si ab Erfurtensibus in illis impediretur, ut ipsi opem ferrent. (2.) Ut Saxonis etiam maneat atq; proficiat, quicquid de jure in *Erfordia, & circa eam* ipsis deberetur, absque impedimento.

Ad primum reposuere Saxonici:

Archi-Episcopo Moguntino in eo, quod ipsi de jure in *Erfordia, & circa illam* debeatur, per Saxonicos Principes nullum impedimentum creandum esse, quemadmodum neq; hætenus creatum sit. Secundum Caput eadem ratione pro Saxonis concipiendum.

Replicavit Decanus, desiderari in primo articulo, quod Archi-Episcopus non nominetur *verus & hereditarius Dominus* Civitatis, qui tamen talis sit sine contradictione. In secundo, *indicari nominatum debere*, quæ in Urbe & extra eam, sibi deberi dicerent Saxonici.

Respondere Saxones:

Ad primum, pro supervacaneo duxisse Saxonicos, ut nominaretur Archiepiscopus Dominus hereditarius; sufficere enim, quod nullum ei in juribus, quæ *Erfordiae* haberet per Saxones detrimentum fieret. Si tamen eo titulo utendum esset, fieri id debere cum præscitu & consensu Erfurtensium; eos enim scire, quo loco habeant Archi-Episcopum, quod si eorum voluntate is titulus Archi-Episcopo dari possit, tunc etiam Saxoniarum Principes nominari debere Erfurtensium *Principes territoriales & protectores, Landes-Fürsten und Schutz-Herren*, quales Saxoniarum Duces sint absq; contradictione, & pati posse, ut Erfurtenses de hoc interrogentur. Ad secundum, nihilo magis opus esse, ut recenscantur nominatenus, quæ Saxonici Principes in Urbe, & extra eam habeant; si tamen id omninò fieri debeat, idem à Moguntinis præstandum esse, ut & ipsi *sigillatim & per partes jura sua enumerent*. Nullâ itaque ratione dici potest, Albertum latuisse Jus Principatus Saxonici & titulum universalem cum jure protectionis cumulatam. Neque magis probabilis est ignorantia fœderis protectorii, typis jam ante id tempus vulgati. Verè itaq; allegavimus scientiam atq; patientiam Alberti, eamq; irrefragabili actorum testimonio probatam dedimus. Nam ab eo translatus fuisse in Saxonicos Principatus nemo dixit, neq; is transferre potuit, quod non

Paq.

Imperatores privilegia Erfurtensibus confirmasse, *addita semper exceptione & limitatione, ad conservandum dominium & superioritatem sedis Moguntinae*, & Carolum Quintum illam exceptionem *disertis verbis diplomati confirmationis inseruisse*, iisdem denique vestigiis incessisse *insequentium Imperatorum diplomata*, inaudita licentiâ fingitur, digna acerrimo vituperio: sed rebus, non verbis, pugnandum est. Produxere in Camerâ Imperiali Erfurtenses omnia ad id usque tempus diplomata Cæsarum, & imprimis *Caroli Quinti* dat. 15. April. 1521. *Ferdinandi I.* d. 12. Martii 1559. *Maximiliani II.* 8. Martii 1566. *Rudolphi II.* 4. Junii 1577. amplissimis & perpetuæ formæ clausulis, *privilegia, gratias, libertates, Diplomata, jura, consuetudines Erfurtensium*, & alia à Cæsaribus & Regibus Romanorum impetrata, confirmantium, & specialem urbi protectionem pollicentium. Possunt ne verbum aut syllabam ex his Impp. diplomatis eruere, quibus Archiepiscopi, vel sedis Moguntinæ mentio fiat, nedum reservatio? Facit itaque hæc tam notoria, & in Imperatorum contumeliam non uno modo redundans comminiscendi, quæ libuerit, malignitas, ut neque iis fidem adhibeamus, quæ de *Reversalibus Caroli Quinti* tradunt, & flosculis quibus pag. 81. 82. benigne nos conspergunt, ipsos exornare jure meritissimo possemus. Quid enim est *privata libidine publicam auctoritatem illudere, integra mutilare, recta depravare, aliena confundere, qui sunt ludi Sophistic digni, quæ scædæ cavillationes, gravi supercilio propositæ, si hæc non sunt.*

Pag. 81. 82. 83. 84.

De Sigillo Erfurtensium extollentes sese feremus, cum hoc sit inter præcipua vocabulorum & schematum simulachra, quæ eò terrent minus, quando & alias urbes novit Germania, noverere Imperatores, & in libertatem asseruerunt, quibus eadē sigilli nota perpetuam his iudicibus inureret servitutem. In subscriptione etiam haud majus est præsidium: quid sint *subditi ex pacto & secundâ observantiam*, quoniam ignorare se simulant, doceri possunt ex iis, quæ Doctores ab ipsis laudati, commentati sunt, & nos quoque supra tetigimus. Erfurtenses



ses hæc ipsi explicant multis & prolixis scriptis, quæ describere nihil
attinet: clausula perpetua & cautela pactorum cum Archiepiscopis,
& literarum ad ipsos & ad Cæsares scriptarum hæc est: Sie seyn Unt-
erthanen / wie solches von Alters herbracht / und nach Aufweisung der
zwischen dem Erb-Stift und der Stadt Mainz auffgerichteten Verträge /
aliquando etiam Camerales sententias allegant: Tantum enim abest
ut in Camerâ pro simpliciter subditis habiti sint, ut & ipsi Erfurtenses
ad suffragia Assessorum non semel provocent, nec sine causâ, ut supra
ostendimus. In literarum autê subscriptione (hoc enim regerunt) non
addidere tales reservationes, & ad Electores & Duces Saxon. non scri-
psere Unterthanen / sed Unterthänigste. Quasi sc. ignoraretur in curiis Sa-
xonis, Erfurtenses nihil ejusmodi ab antiquo & ad nostra usq; tem-
pora, prisco more servato, subscripsisse, sed in consuetâ honoris & sub-
missionis clausula finientes, diè adscripsisse, & nihil præterea, quam hæc
verba: Der Rath zu Erfurth / subjectis; Sed titi illi illi tituli, qui re-
bus carent: sufficit Principibus Saxonis testimonium Imperatoris,
privilegiis suis, Principum Thuringiæ privilegia præstruentium. Suf-
ficiunt illustres Erfurtensium confessiones, quas supra satis superque
demonstravimus. Neque de Titulo hæreditarii Domini Erb. Her-
ren / etiam si *verus & naturalis & ordinarius dicatur*, triumphus can-
nendus est, quando alius ab Erfurtensibus agnoscitur, qui titulo
Principis territorialis ipsis dignus videtur. Quando nimirum constat
de jure Principis, non negabimus, titulum *Domini & hæreditarii Do-
mini* vocabulo Principis æquipollere posse. At quando alius est Prin-
ceps territorii, alius Dominus particularis, qui jurisdictionem im-
mediatam exercet, census & redditus percipit, atque alia ejusmodi
facit, tunc hæreditarii Domini titulum usu regionis distingvi à Prin-
cipis *des Landes Fürsten* / potestate & titulo, diximus, idque infinito
exemplorum ex Constitutionibus provinciæ, & aliis diplomatibus
& actis desumptorum numero ostendi posset. Accidit itaque huic voci
hæreditarii Domini, quod aliis; ut generis nomen uni aliquando
speciei attribuatur, usu proprietatem verbi vincente. Eadem Prin-
cipis *des Landes Fürsten* / & Domini particularis, vel hæreditarii di-
stinctio proposita fuit diligenter & sæpius apud Commissarios Cæsa-
reos An. 1510. quando dictum est à Legatis Saxonis, *Es sind in Thü-
ring*

vingen viel Erb. Herren/aber nur ein Landes-Fürst. Et quid opus est tan-
quam novam & inauditam interpretationem defendere, quæ clarissi-
mis verbis Laurentio Truchseſſo Decano Moguntino, ut paulò an-
te ostendimus, declarata fuit. Quapropter nihil agitur cavillationi-
bus & exagitationibus, donec de jure illo Principis, ad quod semper
tanquam ad sacram anchoram recurrunt, plenam fidem fecerint. Im-
peratoria enim mandata aut in illis narrata, neque Principibus Saxo-
nicis Thuringiæ principatum, neque Erfurtensibus libertatem à
Principatu Moguntino, tot Privilegiis Impp. assertam adiment. Mu-
tatam in vehementiorem stylum mandatorum ejusmodi narrationē,
non sine fundamento questus sumus, atque si opus est, Maximiliani I.
Imp. mandata producemus, in quibus non assertivè, sed *mera relatio-
ne narrationis Moguntina*, daß dem Erb. Stiff alle Obrigkeit zustehen
sol/præcepta sua exorditur. Cur verò Erfurtenses tam patienter auditi
sunt ab Imperatoribus, subjectionem absolutam respicientes? Cur
Saxonicis Principibus semper jura particularia Moguntina, nunquã
universalia, agnoscantibus, imò expressè negantibus, suumque jus
publicè allegantibus, non unã saltem responsione Cæsarum exemptus
est scrupulus, aut litis ordiendæ necessitas injuncta? Cur tam sollici-
tè & ipsi Cæsares & Commissarii, quantumvis Moguntini juris stabi-
liendi studiosi, cavêrunt, ne eo modo vel loquerentur, vel scriberent,
quali hic introducuntur, semper agnovisse illimitatum illud atque ab-
solutum jus Principatus, sive superioritatem universalem Mogunti-
nam? Nam *Superioritates Obrigkeiten & Herrlichkeiten & di-
gnitates, ut species & jura particularia*, agnovisse nemo negat.

Ad Pag. 85. 86.

Antequam pungant acumina hæc, probandum esset *primò* Jus
Principatus Moguntini in Erfordiam; *Secundo* Erfurtensium privi-
legiorum origo à concessione Moguntina, sive superioritates & di-
gnitates, *Obrigkeiten und Herrlichkeiten* (quas non sincerè vertunt *quas-
dam jurisdictiones*) beneficio sedis Moguntinæ ad civitatem esse
profectas. Huic asserto repugnat ipsum pactum cum Alberto Ad-
ministratore, & constans civitatis negatio. His verò probatis ad-
mitti commodo sensu posset Thesis, privilegia non tollere jus con-

a 2

ce-



cedentis, nec in ejus odium & damnum esse retorquenda. (Nam universaliter verum non est, ex confirmatione privilegiorum sequi jus Principis.) Quando ergò nihil tale hæctenus probatum est à Moguntinis; e contrario autem idoneis argumentis adstructus est Landgraviatus Thuringiæ, sive *Principatus in Thuringiam*, cujus pars est Erfordia, *universalis*, deinde etiam privilegia Principum Thuringorum ex ipsorum diplomatibus, Cæsarum confirmationibus, & civitatis confessionibus sufficienter demonstrata sunt, speramus hæc illam de privilegiis, juri Principali non adversantibus, etiam pro Saxoniarum Ducibus valituram esse. Imò etsi dubium esset beneficium Principum Thuringiæ, nihilo magis tamen consistet Principatus Moguntinus. Restat enim alia ratio, eidem Principatu invalidè opponenda; Potuit nempe civitas ab Imperatoribus ipsis jura sua impetrare, vel à Principibus abdicativo, non gratioso titulo acquirere: non præclusa fuit illi hæc via, nisi probetur universalis Moguntina potestas, & speciales istos acquisitionis & exemptionis titulos prævenisse.

Ad eand. pag. 86.

Bella civitatis, ad seditiones & facta, aut ad concessionem & privilegia Moguntina, hic reduci & æstimari, mirum non est. Qui enim absolutum Principatum quocunque modo asserendum sibi sumserunt, in probatione deficientes, strenuè scilicet oportet & convitari & rhetoricari. Manet pro Civitate præsumptio rectè gestorum, donec contrarium doceatur.

Pag. 87.

De fœderum jure eadem, quæ de bello, philosophantibus responsum superius sufficere debet. Probato principatu optimo maximo, quem jactant, Moguntino, videndum erit, quomodo excusentur fœdera cum Archiepiscopis percussa. Difficilius etiam excusabuntur illa, quæ Archiepiscopi aliquando cum *Landgravis*, aut cum Comitibus aliquibus Thuringiæ contra ipsos Erfurtenses, Landgravo aut Comitibus inimicos, inierunt, cum persona judicis & Principis ordinarii minimè congruentia. Extant ejusmodi pacta, *Henrici Archiep. ann. 1345. cum Comitibus Orlamundanis & Schvartzburg-*
gen-

gensibus; ann. 1349. cum his solis; Gerlaci cum Eriderico & Balthasare Landgraviis an. 1354. Etsi enim pactis prolixioribus d. Veneris post Cantate datis Erfurtenses exceperit Gerlacus, cautione tamen singulari & secreta, juratò promisit Archiepiscopus, etiam contra Erfurtenses opem se esse laturum, cum dicere debuisset, se jure Principis in rebelles animadversurum.

Pag. 87. 88.

De fœderis Saxonici vi & effectu, contra prætensum absolutum & omnimodum Principatum Moguntinum, à nobis satis superque deducto, eadem, quæ supra, id est, mera asserta regerunt. Si enim his credendum est, Erfurtenses in *secundâ conventione* Camerali, quæ fœdus oppugnatum est, condemnatos esse oportet, quos absolutos fuisse, clamant acta. Assessores etiam hic iterum in scenam sistuntur, quos per reservationem jurium Moguntinorum, Principatum illum universalem reservassent, quod quam frustra dicatur, ipsorum Assessorum testimonio *ex Meichsnero* supra probavimus.

Pag. 88. 89.

Doctrinæ p. 65. propositæ hic memores sunt, optimè, si displicet; interpretantes Archiepiscoporum & Ministrorum Moguntinorum dicta, protectionem Saxoniam agnoscentium. Si, ut p. 66. fingitur, ita locuti essent Archiepiscopi Electores, *non est nobis consilium disceptandi de protectione; agimus id, quod nunc instat*: Non tam obtusa gestamus pectora, ut laudationem & concessionem inde eliceremus. Quid scripserit Uriel Archiepisc. supra vidimus. Audiamus jam *Wolffgangum Archiepiscopum in replica 1591*: hæc scribentem:

Dergleichen vergist sich mein Rath abermals gröblich gnug an demel/ daß sie prætendiren/sie hätten über etliche hundert Jahr jura publicæ protectionis armorum & fœderum gebraucht / und hergebracht/ da doch ihnen wissend/ als mein Vorfahr Sel. Erzbischoff Albrecht Cardinal, in der zweyten angestellten Convention-Klage sich beschweret / daß der Rath zu Erffurth/ die Chur- und Fürsten zu Sachsen zu Erbschirm- Herrn angenommen/ der Rath selbiger Zeit/ in ihren wider die zweyte Mainische

a. iij.

Kla.



Klage peremptoria den 21. Martii An. 26. in E. Käyserl. Majest. Cam-
mer-Gericht eingeben/ dargegen allegirt/ Weils Erffurth Mainz erlei-
gen / und ihnen vor Jahren viel widerwärtiges wiederfahren / hätten sie sich
in Sächsischen Schirm begeben / welches die vorigen Erzb. Bischöffe ge-
wust/ratificiret/und daß sie dargegen viel tausend Gilden meinen Vorfah-
ren Alberto Administratori, erstattet und erleget haben. Wie sie denn
dasselbige in ihren exceptionibus am 7. Martii anno 69. in puncto der
andern convention Klage/ außdrücklich bekennen / daher dann aus ih-
rer selbst Gerichtlichem Bekänntnis erscheinet / daß sie dergleichen Schutz
und Schirm / außserhalb/ was sie/ wie angeregt/ mit dem Hauff Sachsen
in anno 1483. vorgenommen / zuvor nie gehabt / daß sie auch in solchen
Sächsischen Schutz anderer Gestalt nicht/ denn mit meines Vorfahren be-
willigen/ sich begeben. *Hocine est referre, quid dixerint Erfurten-
ses, aut quid crediderint Judices, an confessionem Erfurten-
sium ac-
cipere, atque ex eâ pro se argumentari, sine ullâ contradictione, aut
declaratione, quæ nuda relata solent proferri?*

Ita etiam *Autor Salvationis an. 1647.* non est nudus relator, quæ
fuerit opinio iudicum, sed verbis utitur *positivis & puris: proba-
verant* (ait) *Erfurten-
ses, Archiepiscopi Moguntini consensu Saxonie
Principes in protectores assumptos.* Nam quæ interferit de excepto
Moguntino, & de superioritate, per clausulam reservatoriam intelle-
ctâ, ex suo addit cerebro, quæ alleganda nobis non fuerunt, non ma-
gis atque ea, quæ habet ad eundem sensum pag. 114. quamvis nobis
non sint dissimulata, expressim §. 27. *expositionis* notantibus, *addidis-
se autorem reservata quædam ex suo instituto.* Ut aded nulla ratio sit,
cur jubeamur oculos aperire ad videnda, quæ vidimus, notavimus,
& refutavimus. Evadere itaque hic non possunt, quin convincan-
tur, *confessos esse Archiepiscopos consensum in fœdus protectorium.*
Nam subdolè atque cavillatoriè & eo locutos esse modo, quem boni
omnes abhorrent, quemque ex Republica & inter Principes abesse
oportet, minimè dicent, neque Principibus suis eam aspergent ma-
culam. Aliud sanè est dicere, *Affessores Camera opinatos esse, ab Er-
furten-
sibus allegatum fuisse consensum,* aliud eo modo loqui, quem re-
tulimus. Multo minus auctoris 1647. dicto, (cum profiteretur, ob in-
formationem noviter repertam, protectionem Saxoniam, über die
Stadt!

Sendt / super civitatem, indubium non iri vocatum) glossema illud
congruit: *Protectionem non esse in vel super civitatem*, sed tantum in
feuda Saxonica extra Urbem. Certè ne ludos nos faciant, satis perci-
pi à nobis sciant, eos, qui concedunt protectionem salvo jure supe-
rioritatis Moguntinæ, & respectu feudorum Saxoniorum extra ur-
bem, *nihil prorsus concedere*. Omnimoda nempe Moguntina exclu-
dit protectionem Saxoniam, non quâ velut idolum aliquod *novum*,
(ut criminantur,) & *inauditum & portentosum vero & veteri fœderi*
substituitur, sed quâ articulis pactorum, verbo & sensu, congruit.
Dicant enim ut aliis nunc non pugnemus rationibus, quomodo præ-
stari possit ab Erfurtenſibus vel pecunia annua, vel suppetiæ tem-
pore belli, & eo quidem numero, quem necessitas provinciæ exigit,
aut arbitratorum sententia definit, quando Archiepiscopi Moguntini,
absoluti Principes sint, talesque Domini, qui jus belli & pacis in urbe
cum eminenti dominio in omnia civitatis & Civium bona habent,
(*nam & hoc crepant infrap. 110.*) Cum ergò hi vetant pecuniam dari,
auxilia præstari, (quod ex rerum suarum statu possunt & solent, Prin-
cipatum omnimodum habentes,) imò si sibi ipsis eodem tempore
dari præstarique ea jubeant: Si in Principes Saxonicos vires civitatis
verti velint, quid fiet fœderi Saxonico? in fumum abibit, cum omni-
bus bonis illis & delentificis verbis, quibus hucusque spem aut fidem
non impugnandæ protectionis facere voluerunt. Neque melior est
altera illa ad feuda Saxonica restrictio. Nam in feudis hisce non pro-
tectoressunt Principes Saxones, sed domini directi, imò tales, qui in
feudis illis omnimodam superioritatem sibi deberi asseruerint, quo
nomine inter eos & civitatem lis indecisa pendet, interventu Archi-
episcopi Alberti an. 1533. ad arbitros deducta. Quo verò pertinet
tam operosè de provinciæ & urbis salute & securitate, de privilegio-
rum vigore, de suppetiis, de pensione annua non contemnendâ, de
judiciorum ordine, de arbitrio controversiarum pepigisse, si de pa-
gis tantum & Feudis Saxonica actum est. Itane pagorum causâ tan-
tam operam & sumtus à Principibus & ordinibus impendi, tot bella
geri, tantum sanguinis fundi, tantam pecuniam à Civitate solvi, ope-
ris pretium fuit?

Ad ea, quæ de Plebis scito an 1310. & deducta inde juris Erfur-
tensis, in re militari, probatione, notavit libellus Saxonicus, nihil
regeſtum eſt præter argutias minimè argutas, & manifesta convicia,
quibus etiam non eximunt Schwindium miniſtrum, cum viveret
Moguntinis acceptiſſimum & utiliſſimum, cui mortuo inſultant ii li-
beraliter, quem magiſtrum, ſi viveret, habituri eſſent, rerum Erfur-
tenſium non paulo intelligentiorem. Cæterum, qui non intellexe-
rit, jus muniendæ urbis, eo præſertim modo, quo munita eſt Erfor-
dia, ad jus belli & fœderum pertinere, de eo erudiendo deſperandum
eſt. Rationes publicas edidit civitas in Camera, ex quibus conſtat,
ab an. 1457. ad an. 1483. ad centena ferè florenorum millia, præter
operas civium & paganorum manuarias, munimentis urbis & arcis
impenſa. Audeant id municipia abſolutæ poteſtati Archiepiſcopo-
rum ſubjecta, inconfultis illis, imo invitis & torvum tuentibus, &
ædificantes ad Pontificè, cum cætera non ſuccederent, deferentibus.
Neque tamen eadem auſa eſt civitas, niſi pactioibus primùm tem-
poralibus, dein magnâ pecunia, & fœdere æterno & penſione per-
petuâ, propitiatis Provinciæ Principibus.

De Petri Archiepiſcopi confirmatione repetere non lubet, quæ
ſ. 28. *expoſitionis Saxonica* explicata ſunt, nec à refutantibus convul-
ſa. Meliori etiam, quam Schwindius, de eodem Petro præſumptio-
ne exiſtimamus, ei ne in mentem quidem veniſſe ſuperioritatis in
Erfordiam, ſed contentum juribus ſuis, quibus ſervandis plebem fa-
vere videbat, quam poterat operam præſtitiffe, accommodando af-
ſenſum illi parti, quæ ſuis rationibus videbatur benignior. Certè
Petrus Principes in Thuringia eſſe noverat, non paſſuros arcem do-
minationis alienæ in provincia exædificari. Manſit itaque extra par-
tes cum inter Fridericum Landgravium & civitatem bellum eſſet
an. 1309. Henrico Imp. urbis cauſam, ſpeciali pacto, cujus formulam
in Camerâ produxere Erfurtenſes. tuente. In diplomate Imperator
cauſam & finem pacti refert his verbis: *Quod Privilegia, libertates,
gratias, & approbatas conſuetudines, quibus Imperatorum vel Regum
Romanorum, & Landgraviorum Thuringia, vel dicti Friderici con-
ceſſione, Erfordenſis Civitas, ac ejus incolæ gaudent, & gaviſi ſint, huc*

uſq;

usque ratum habebimus, eamque confirmabimus, quandocumque, cum ante dicto Friderico filio Landgravi Thuringia unionis & concordia foedera plenè nos contigerit observare. Ad hoc obtinendum Imperator ducentos dextrarios, sive equites hastatos, civitas 350. & Henricus Orlamundanus Comes, 100. alere constituerant. Ad pacem verò propensior Imperator, & Italica bella cogitans, scripsit Erfurtensibus, Thurego (Tiguro) an. 1310. III. Cal. Maji, Vias se & modos inquisitionum, salubri statui civitatis congruentes, & si cum Friderico Landgravio, vel nunciis ejus, tractatus aliquos super concordia vel tregenda statuendis, observare se contingeret, hujusmodi placitis sine dubio Erfurtenses inclusurum, & ea firmaturum cum illorum commodo & honore. Sed non minùs interim pertæsa belli urbs, reconciliationis negotium cum Landgravio seriò cœptum, Julio mense feliciter absolvit; diploma Friderici, Veneris post Margar. 1310. datum suprâ (ad pag. 25.) retulimus, honorifico & certo cum Principatus Thuringici elogio. Neque offensus eo Petrus Archiepiscopus, hoc ipso anno mense Decembri, assumpto Bertoldo Hennebergico, inter Imperatorem & Fridericum pacem procuravit, & huic investituram Principatum, ac nominatim Thuringiæ ab Imperatore stipulatus est, ut constat ex diplomate an. 1310. 14. Cal. Jan. dato. Fabulatur ergò more suo anonymus, qui cap. 86. refert, discordiam ad an. 1312. & (c. 87.) 1314. durasse. Imò planè silet, vivo Friderico cum civitate conventum esse. Ex hac historiarum & diplomatum luce apparebit, quàm vanus sit conatus, Petrum Archiepiscopum pro civitatis Principe venditantium, ejus nempe civitatis, quæ tunc magnarum Rerum mutationem, bella, foedera, suo suscepit gessitque arbitrio: Quæ status sui securitatem à Landgraviorum privilegiis pendere sciens, ad privilegia illa, quæ à parente Alberto, se invito, dari aut confirmari non potuisse, contendebat Fridericus, obtinenda, cum ipso Imperatore pactum iniiit, sed destituta ab eo, dum ad bella Italica properaret, transiit cum Principe eâ ratione, quam narravimus. Muta fuit inter hæc omnia, Petri Archiepiscopi persona, nisi quod, ut diximus, pacem ipse inter Imperatorem & Fridericum procuravit, & tumultuante civitate, juribus suis particularibus prospexit. Nos hisce manifestissimis contra omnimodam Moguntinam argumentis fruemur, dum

b

la-

laetucas labris similes (ut ajunt p.90.) in commentationibus suis alii
reperiant, & sibi persuadeant, Petro eam autoritatem an. 1310. fuisse,
ut cives urbe ejiceret, & alia ejusdem valoris,

Pag. 92.

Quàm frivolo scommate excipiant scriptorem Saxonicum, in-
ter alia argumenta Academiae Erfordensis jus, omnimodæ Mogun-
tinæ opponentem, ipsa diplomata Pontificia ostendent; Concedit
Clemens VI. ann. 1378. civitati, quam omnibus modis laudat atque
extollit, jus Academiae, nullam facit Archiepiscopalis Principatus,
aut precum Archiepiscopi mentionem, Cancellariatus munere ita
ornat Archiepiscopum, ut ei in officio cessanti substituatur sodales *Ec-
clesiae B. Mariae Virginis*; Itaque si Cancellarii munus Principatus su-
premi signum est, *propositus etiam B. Mariae*, Princeps fuerit, aut igno-
ramus scilicet, Academias à Principibus institutas, in quibus tamen *E-
piscopi* Cancellarii munere fungebantur. De schismate non habent
quod dicant. Clemens ille Archiepiscopum Moguntinum venerabi-
lem fratrem vocat, eidemque Cancellarii Majestatem illam, tanto pe-
rè hic deprædicatam, concedit; Eatenus non fuit Schismaticus. Ur-
banus verò Sextus, verus ille, his iudiciis, Pontifex, quid aliud,
quàm alter ille Antipapa ante annos undecim, id est actum egit?
Meminit tamen inter cætera precum Adolphi Archiepiscopi cum Le-
gato Pontificio pro civitate impositarum. Nihil tam minutum est,
quod non sufficiat assertoribus ad Principatus supremi iudicium.
Quis verò Princeps sui mentionem secundariam inseri pateretur di-
plomati Pontificio? Cur non ipse potius laudaretur primus pro sub-
ditis suis intercedens, sumtus ministrans, Doctores constituens, alia-
que agens, quæ agere Principes oppidorum solent, in quibus Acade-
miæ constituuntur? Quomodo ergò bacchatur aut rhetoricatur,
qui auspicia sive primum locum, & jus proprium in Academia fun-
danda, nullo parasitandi, sed veritatis & causæ, quam tuetur, justo stu-
dio, detulit illis, quibus idem deferunt Pontifices. Clemens enim
ne meminit quidem Archiepiscopi pro civitate precantis, Urbanus
meminit, sed ita, ut cujuscunque intercessoris, & ut Philippi Ostien-
sis Episcopi Legati sui, Quod si duo, ut pace Grammatica hoc di-
ce-

cere liceat, auspicia statueremus, quanquam id necesse non est, exemplum sequeremur *Commissar. Casareorum an. 1649. decernentium* ut tam Archiepiscopus, quam civitas academiam promiscuè suam appellare possint, *Das das Prædicat unser Universität beyderselts geführet werden möge.*

Non parasitantur itaque Pontifices Principatui Moguntino, nec mendaciorum mango esset, qui assereret, Pontificem nunquam cogitasse de tali Principatu, cum *Proconsules, Consules & oppidanos civitatis, tot gratiarum dotibus, ut ait, insignita & fertilitate & amœnitare commendabilis* privilegiis suis exornaret. Sed quoniam de Pontificum iudicio occasio differendi datur, *Bonifacium IX.* audiamus, *anno Pontificatus sui decimo, id est, 1399.* illustri confessione testificantem, quo loco haberet & Archiepiscopum Moguntinum, & Landgravios Thuringiæ, & civitatem Erfordiam. Wenceslaus Imperator eo tempore proscriperat Erfurtenses. Illi rem deferunt ad Pontificem, quem diximus, falsò quidem, nec inscio ut apparet Archiepiscopo querentes, quasi ad instantiam *Wilhelmi Marchionis Misniæ, & Thuringiæ Landgravii,* ordine juris non servato, per iniquam sententiam gravati fuissent. Pontifex Archiepiscopo Moguntino ut diœcesano mandat inquisitionem, *Jure ne essent proscripti Erfurtenses?* Imperator Pontifici demonstrat, hanc cognitionem ad se, non ad sedem Apostolicam pertinere, tum rectè esse judicatum, nec Erfurtenses ad petita Marchionis, sed propter actionem equitum quorundam, *dictorum de Lengensfeld,* & ob pertinacem contumaciam, banno suppositos; *Wilhelmum autem, & alios Misniæ Marchiones* (fratres nempe ejus, & fratris filios) *Dominos temporales earum partium, pro defensoribus nobilium, & sententiæ Executoribus per Regem deputatos.* His relatis & approbatis Pontifex mandatum Moguntino Archiepiscopo datum revocat, severâ, ne ulterius procedat inhibitione addita *4. non. Junii, anno quem notavimus.* In qua igitur Urbe Archiepiscopus non Principis, sed Commissarii Pontificii personam gessit, ejus urbis iudicio condemnandæ partes Imperator ad se pertinere apud Pontificem obtinuit, & sententiæ executionem Landgraviis Thuringiæ, ut *Provincia ordinariis sive temporalibus earum partium dominis,* mandavit, volente & approbante, &

causam cognoscente Pontifice, & Mandatum Moguntino per falsas suggestiones datum, revocante: Eam pro municipio Moguntino, tantis autoribus freti, non habemus, & convitia nobis eo nomine impacta jure optimo maximo retorquemus.

Pag. 91. 92.

Decuit nos de negotio religionis locutos reformationis occasionem, populi nempe propensionem, non dissimulasse, ex actis publicis notoriam. Eam ubique locorum, praesertim in civitatibus, adversus Episcopos eorumque officiales praevaluisse, acta testantur. Nemo tamen dixerit, commoti populi consensum ad jus sacrorum sufficere: de *occasione*, non de *jure* diximus, jus aliunde adstruendum est. Neque altera in nos quadrat calumnia, de *mutilata conventionne induciarum* an. 1530. Exiis enim, quae ad institutum nostrum pertinebant, excerpisse satis erat, ceteroquin pro temporum statu induciae illae satis erant gratiosae; frustra tamen inquiritur, an illis contravenerint Erfurtenses, nam conventionne pacis religiosae induciarum finis fuit.

Pag. 92. 93.

Quoniam non argumentati sumus inverso ordine à libertate religionis ad jus Principis, non est, quod de *Consiliis Saxonibus cogitantes*, quibus hic provocantur *Imperii Status*. Cogitabunt verò de Moguntinis, quibus libitum est, pacis publicae antiquae & novissimae dispositioni, & statuto in ea termino anni 1624, annum 1618, & jactatam in eo gratiam, & privilegii concessionem praeferre. Quales tamen transactiones, quatenus pacificationis novissimae legibus adversarentur, cessare, & ad statum an. 1624. reduci iussae sunt. Deprecantur ergò Erfurtenses merito gratiae hujus titulum, alias magis necessarias ab Archiepiscopo Electore lubentiori animo accepturi. Nam etsi Episcopos Germaniae etiam Principes esse nemo negaverit, pro temporum tamen conditione non oblivisci solent, cui debeant Episcopalis & Archiepiscopalis dignitatis, quae Principatus secularis axioma nititur, supremam gratiam. Tutius itaque longè est, neque cuiquam vitio vertendum, si validiori titulo incumbat, jure proprio & pacis universalis vinculis firmato. Virulentum assertorum animum hic

pro-

profecto illustri documento deprehendimus, qui etiam illud nobis
vicio vertunt, quod sæpius Archiepiscoporum, non semper etiam
Electorum Titulum Eminentissimis Moguntinis adscripserimus.
Nam semper Archiepiscopos, nunquam Electores nominasse, ma-
nifestò falsum est. Putavimus tamen Archiepiscopalis dignitatis
commodiorem esse mentionem, quod in eâ fundamentum est Poli-
tici Principatus, quodq; ipsi Præfules etiam aliquo post auream bul-
lam tempore, non semper Electorum nomen præscripserint, & ho-
diè inter omnes titulos, Archiepiscopalem tamen primo loco po-
nunt. Erat & ratio de duobus sæpe Electoribus Moguntino, & Sa-
xone scribentem, hac ratione distinctius procedere. Nihil itaque
ab infestatione maligna tutum est, in animum etiam & cogitationes
inquirunt, & res liberrimas & innoxias pro criminibus traducunt.

Pag. 93. 94.

Erfordiam ab antiquo habuisse jus protectores recipiendi, qua-
dringentorum ferè annorum usu, per diplomata Principum, proba-
to, aliisque invictis argumentis demonstratum est. Stat itaque dis-
positio recessus ann. 1555. & vel ad Erfurtenes, vel ad nullam toto
Imperio civitatem pertinet. Neque difficile est elidere argumen-
tiunculam, quam debent acumini *authoris salvationis an. 1647.* Is enim
acutè scil. vidit, si verbis allegati recessus Erfurtenes pro clientibus
Saxonicis declarentur, etiam iisdem subditos Moguntinos dici. Ad-
mittunt verò etiam Erfurtenes, non repugnantibus Saxonicis, subdi-
torum illud nomen, *secundum pacta & observantiam*, ut jam sæpius
memoratum est.

Pag. 94.

Non subito neque incautus, sed verè & candidè Acta Electoris
Saxonie Johannis, in negotio religionis Erfurti constituendæ, cum
discrimine retulit *autor libelli Saxonici.* Svasu scil. potius, quam im-
perio in urbem usus est Elector, duobus potissimum de causis; Nam
Primò adversantem consiliis suis habebat agnatum magnæ potentie
Georgium Saxonie Ducem; *Dein* ea erant tempora, ut ne in ditio-
nibus quidem plenissimo jure subjectis, aliter, quam cum volunta-
te subditorum reformatio procederet. Nondum enim per constitu-

b 3

tio

tionē publicas, Episcoporum in sacris potestas, territorii Dominis cedere iussa erat. Itaque nihil amissum est ea moderatione, eamque fideliter retulisse, moribus Scriptoris congruum fuit, quem non feriunt insana, quæ hic cumulantur convitia. Neque culpandi sunt Erfurtenses, si iis artibus, quibus partam sciunt conscientia & religionis suæ libertatem, eandem conservare cupiant, pacem publicam & tutelam Saxoniam, blandis quibuscunque promissis ante habentes. Iis enim non obstantibus, per annos hosce proximos non uno modo sensere, quæ speranda sibi sint, si sub omnimoda soli & indefensi relinquantur. Specimen præbent, quod etiam à Commissariis Cæsareis an. 1650. ad transactionem anni 1618. in quibusdam articulis rejecti fuere: Et *processionis in festo corporis Christi* tentata per urbem contra observantiam anni 1624. extensio; & quæ *in Schwabacensi tractatu* ann. 1660. de feriis, & de portarum, diebus festis apertura, acta sunt.

Pag. 94. 95. 96.

Nihil ad rem facit Philosophia, de jure Principis salvo, etsi Magistratus constituendi potestatem subditis concedat, aut liberam etiam administrationem, nisi prius ista probentur: *Dedit Moguntinus Elector Erfordia Senatum, dedit liberam administrationem civitatis, & alia ejusmodi.* Quæ, cum ipsi videant, principium petere, solida progrediuntur via, pro rationibus criminationes pleno sacco ferentes. Sed quid aliud expectes ab illis, qui Saxonicos pag. 95. *audent putidi mendacii & decocti pudoris* arguere, negantes, *Erfordiam sitam esse in provincia Moguntina:* qui contra sensum, & palpandam manibus, pedibusque incurrendam rerum evidentiam, hic tamen asserere non dubitant, *Erfordiam ditioe & pagis Moguntinis undique circumdari.* Deum immortalem! potuitne tantus veritatis & sensus communis contemptus in homines cadere, qui utique aut in Thuringia aut ad fines Thuringiæ nati, aut Erfordiæ versati sunt, nedum in ministros tanti Principis, ex cujus aulâ veritatis & modestiæ in omnē Germaniam exemplū speramus? Ubi est ditio Moguntina, quâ Erfordia circumdatur? ubi pagi? qui uni suburbio Erfurtensi nedum toti civitati circumdandæ sufficiant. Habet Eminentissimus Elector Moguntinus

nus

nus circa Erfordiam *quinque pagos, minus quam mediocres*: illorū duo tantū agrum urbanum ex aliquā parte attingunt, *duo* intersecantur districtibus aliis, & imprimis agro pagi diruti, quem Erfurtenses à *Comitibus Schwartzburgensibus*, hi à *Saxonia Ducibus feudali jure tenent*. Quintus longè ab urbe diffitus est. Erfurtensem verò agrum suburbanum, vel pagi Saxonici, vel Erfurtenses cingunt; & totus porrò tractus, in quo sita est civitas, cum pagis Moguntinis simul & Erfurtensibus, circumcirca cingitur, clauditur, circumdatur præfecturis & ditionibus Saxonis; ita, ut nisi per has nullum iter sit ad civitatem Moguntinis, quod nupero incurfu satis sensitimus. Atque hinc patet, quæ veritate & modestia etiam altera propositio nostra, de situ urbis in Thuringia, & in Landgraviatu Thuringiæ, supra relata, negetur. Neque negasse sufficit, sed ad rei evidentiam provocantes, iis excipiunt contumeliis, quibus etiam vilissimi mortalium, aut ut ipsi proximâ paginâ loqui amant, *bipedum nequissimi*, non solent uti vehementioribus, aut scurrilioribus.

Ad Pag. 96. 97.

Neminem decipient, quæ hic jactantur de Senatu à Gerharo Archiepiscopo instituto, & quæ aliatanquam certa & liquida cumulant, qui Erfurtensium responsa legerit, documenta laudantium, quibus probant, etiam ante Gerhardum Senatum in urbe fuisse: Iidem civitatis & regiminis primam formam, bonis autoribus nixi, Henrico Aucupi Imperatori acceptam ferunt, quem constat, Saxoniæ & Thuringiæ urbibus, ad Hunnorum irruptiones, quibus Equites seu Nobiles soli impares erant, repellendas, variis modis robur dedisse, & libertatis beneficio illectos paganos, in urbes, & ad armorum exercitia congregasse. Interim non negabimus Archiepiscopos, etiam notabili aliqua mutatione interveniente, non sine causa de assensu interpellatos, ne eorum juribus ac redditibus damnum inferretur. Ita Wernero Archiepiscopo *de monetâ*, quatenus ejus jus ad Archiepiscopum pertinebat, obsequium promisit civitas, neque tamen eo exemplo asseritur thesis universalis, de administratione civitatis, ab Archiepiscopis Senatui concessæ. Ita cum eodem Wernero pacti sunt, nulla statuta se facturos sine consensu Episcopi, *per quæ*
la-

ladantur jura & honores ipsius Archiepiscopi & Cleri sui. In cæteris itaque ad jura & honores Archiepiscopi non pertinentibus, libera est & fuit civitas, Leges & Statuta magno numero condens ; neque unquam mulctata aut officii admonita probari potest, nisi quando juri- bus Archiepiscopi particularibus impedimentum & damnum intulit, sive Cleri immunitates coarctans, sive redditus intervertens; Tum enim offensam meruit & *Episcopali censura*, seu interdicto ut plurimum, aliquando bello, aut *foedere bellico*, ut audivimus, territa, nunquam jure Principis, non Erfurtensibus tantum veteribus, sed & ipsis, ante Dieterum, Archiepiscopis ignoto, in ordinem redacta fuit, ita, ut ne *Ludovicus quidem Thuringia-Landgravius* in Archiepiscopum electus, & contra Adolphum æmulum a Carolo IV. Imperatore assertus, fraternisque opibus adjutus, ea ratione procederet, ut ex *proscriptione*, qua Imperator an. 1378. civitatem ad officium compellere nitebatur, satis apparet, in qua nulla est de jure Principis argumentatio. Urielis Archiepiscopi; (de quo p. 96. commentantur) dictum verè & pertinenter allegavimus, non elevandum interpretatione, quam hic (p. 96.) comminiscuntur. Putantne verum & absolutum Principem in disceptatione, adversus eos, qui se Principes ejusdem Civitatis esse asserabant, ita loqui posse aut debere, quemadmodum locutus est Uriel, dicens, penes se non stare exules in urbem, & ad Magistratum restituere. Verus Princeps utique dixisset, se curaturum hoc apud suos, vel se causas habere, cur non curet.

Pag. 97. 98.

A præsentia Sculteti, Senatum senatui jurare audientis, ad confirmationem Principalem argumentantes, nihil efficiunt, etsi perpetua convitiandi libidine dicta acuant. Plus metuendum esset ab hac præsentia, si constaret de jure Principatus Moguntini. Nos civitatem nominare possumus, quæ per duos Proconsules Archiepiscopo hoc modo jurabat, formulam præeunte Cancellario Archiepiscopali.

Ihr nehmet von wegen eines Raths und gantzer Gemeinde gegenwärtigen unsern gnädigsten Landes-Fürsten und Herrn auff / für euren rechten Landes-Herrn / und ihr wollet und sollet hinfortan S. S. Gn. treu und hold seyn / deroselben bestes wissen / und ärgstes wenden / wie frome Leute von

Rechts.

Rechts wegen / schuldig seyn / etc. Neque tamen hoc juramentum, cum aliis plurimis & majoribus juribus, quàm Moguntina Sedes in Erfordia habet, obstaculo fuit, quin ea civitas Imperatorio decreto libera & Imperialis pronunciaretur. Non facimus nostram litem illam; referimus quid actum sit, neque quid intersit inter utramque causam, nos latet. Quis ferret iras Moguntinorum scriptorum, si talem jurisjurandi formulam allegare possent: qui tantos spiritus sumunt ex Sculteti sui præsentia, qui juramentum non præit, nec audit Archiepiscopo aut Principi jurari, sed de juribus Episcopi servandis, non minus, quàm civitatis & cæterorum, qui in formula nominantur, Senatui novum jurare veteri? Aliud etiam est juramentum, de quo Bertoldus cum civitate pactus est: id allegantes, non debuissent omittere verbum necessarium, & discrimen statim indicans *in introitu solenni, im Einreithen*. Rabulariam hoc sapit disciplinam, quam crebro objiciunt nil tale merentibus. Neque abaudit alterum specimen de vobula *MS*. Hujus enim causa correctæ dicunt concordata, cum autoritate Cæsareæ commissionis nuper denuo ederentur. Nobis parum interesse videtur, ad sitne vox illa an ab sit. Archiepiscopus enim urbem intrans juramentum suscipit, secundum formam pactis expressam. Si suscipere dicitur, (*den Eydnehmen*) poterit etiam dici, *ipsi* jurare, dummodo non negetur, jurari *ex pacto*, & jurari Archiepiscopo, de omnibus civitatis juribus ante ingressum juratò promittenti, jurari etiam formâ, ex qua nemo homagium argumentari poterit: Denique aliud esse juramentum hoc in introitu, quàm id, quod Senatus Senatui præstat, spectante Sculteto, de quo solo hic erat sermo, cujusque annua repetitione manifestum fit, non esse homagium, id enim Principi semel unumquemque præstitisse sufficit, sed magistratuum succedentium & civium versus novum magistratum juramentum.

Pag. 98. 99. 100.

Exemplo caret maledicendi intemperies in ministros, non tantum hic, sed in ipsos Principes effusa, hos enim lupis comparant, pag. 100. Neque enim ad Ministros pertinet hoc scomma, qui protectores nec sunt, nec esse possunt. Nulla tamen vel modicæ indignationis, nedum tanti furoris causa est, nisi veritas expositionis Saxoni-

5

cc.

cx. Questifunt Saxonici, de nimia Ministrorum quorundam ad statum Erfurtensem mutandum, festinatione. Non desperant in aula Moguntina viros esse, antiquâ virtute & fide, qui rectius meliusque consultum fore putent & juribus Moguntinis & Civitati, si plebis postulata anno 1647. & Limprechtii pollicitationes an. 1659. moderatius & circumspectius expendissent & temperassent Sculteti Urbani, quàm tanto studio commendassent, Herique eminentissimi tempora, majoribus utilioribusque in publicum curis debita, non onerassent his molestiis & tricis. Cæterum antiquam formam civitatis tot seculorum observantia niti, dixit Scriptor Saxonicus, qui non Oligarchiam, sed mixtum & temperatum statum Civitatis, durasse tradidit, ab an. 1310. usq. ad an. 1509. & demtis annis septem seditiosis, quorum ratio habenda non est, inter annos plus quàm trecentos, à dicto anno 1516. ad an. 1647. Neque tamen non pati poterunt Principes Saxonici aliquales mutationes, si se in habitum componant, in quo subsistere commode possint. Neque semper, nec in quavis levi, aut statum non everfurâ mutatione sese intromiserunt, aut intromittent. Queruntur sibi obtrudi novas prorsus formas, magnâ & capitali conversione statûs civici introductâ; & Archiepiscoporum nomine, quoties factionum occasione id fieri possit, ædificari & destrui, regimen regimini, formam formæ substitui, donec per varias corruptiones & putrefactiones generatio desideratissimæ illius omnimodæ maturetur.

Pag 100. 101. 102. 103.

Longo ambitu verborum eò demùm pervenitur, ut formula seditiosi regiminis anno 1510. consarcinata, laudibus in cælum extollatur. Quo major etiam sit invehendi in ministrum Saxonicum licentia; verba ei affingunt nunquam scripta. Non enim dixit, Eminentissimum Electorem Moguntinum confirmasse plebiscitum illud, *ne inspectum quidem*. Idem ne est, *non inspicere, & non satis inspicere*, id est, non plenè de re tota cognoscere? Modestiùs de injuria Saxonici Principibus, per renovationem & affectatam confirmationem plebisciti hujus an. 1647. facta, queri non potuit minister Saxonicus, quàm ut eam hoc modo excusaret, quo solent magni Principes, magnis & plurimis negotiis, præsertim in novo Principatu, dis-

tra-

tracti, à bonis & honestis viris, imò à seipsis excusari, cum festinan-
ter & falsò suggesta, edocti meliùs, corrigunt, & culpam in precatore-
res mendaces rejiciunt. An plebiscitum illud, sive Regiminis for-
ma, ultra seditionem & post an. 1516. duraverit, frustra quæritur:
nam non durasse, res clamat, & seditionis actio, ad reducendam
formulam, anno 1647. instituta. Ideoque nec credibile est, eam an.
1558. agnitam fuisse à Senatu, qui ei toties contradixit. Ipsi turba-
tores anno 1647. ab ea recesserunt, Commissarii Cæsarei Legatis Sa-
xonicis crebrò promiserunt, se ne verbo quidem uno mentionem il-
lius formulæ facturos; idque præstiterunt, magno indicio, quàm
vanè nunc jactetur, formulam à civitate agnitam, ab Imperatoribus
à Consilio Aulico, & Camerâ, à Commissariis Cæsareis confirmatam
& sancitam fuisse; Eâ erant mente Commissarii, si talis fuisset formu-
læ solennitas, ut planissimè rejecissent Legatos Principum, illam se-
riò reprehendentes. Quod si hæc Lex est & fuit, perpetuò valitura,
tot fulcris publicæ approbationis munita, cur non uno verbo reno-
vata est, cur Senatus in possessione adversus scita hujus legis relictus,
cur demum ad transactionem Ao. 1655. adactus est, lege illa pragma-
tica nihilo magis nec nominata, nec in usum, ut fieri debuisset, pror-
sus reductâ. Putantne, latere Saxonicos, aut excidisse memoriâ
rerum gestarum ordinem, aut quid opposuerit, scripserit, dixerit,
obtestata sit *civitas*? quo nomine paucos sapientes, quàm colluviem
vulgi, aut metu & variis artibus territos inertes aliquos Senatores,
censere non veremur. Sed age, ex plebiscito ipsa quædam saltem
consideremus, ut appareat, an meruerit, vel ab Eminentissimo Ele-
ctore approbari, vel ab assertoribus, tanquam Lex Lycurgi, aut Solo-
nis celebrari. Et primarium quidem plebisciti caput est, fol. 15.
(editionis an. 1647. sed falso anni 1628. numero substitute, vulga-
tæ) nullum Senatorem, qui ante an. 1509. in magistratu fuerit, neq;
illos, qui ex urbe profugerint, omnesque illorum cognatos & amicos
in Senatum esse cooptandos. Ad hunc locum ita commentatur Se-
natus Erfurtensis in literis ad Principes Saxonicos d. 3. Julii 1649.
scriptis:

Mit dieser Clausul hat man zwar alle die vorigen Râthe abzuschaffen
gesuchet: Und ist in dem transitu Consulium & Seniorum zu sehen/ daß

der Pöbel keine einige Person von denen alten Rathsh. Herren in Meister
und Bier behalten. Dannenhero selbiges Collegium an. 1510. und 1511.
ganz vaciret/ und erst an. 1512. durch die in Zeit der Empörung erwählten
neuen Rathshmeister und Bier-Herren wieder besetzt worden/ wie scharff
es aber allhier verboten ist/ die alten Rathsh. Herren und ausgewechene
Bürger/ insambt deren Auserwardten nicht wieder in Rath zu nehmen/ so
hat doch das Chur- und Fürstl. Haus Sachsen es dahin vermittelt/ daß der
Pöbel sich eines bessern bestimmen/ und nechst Abstellung der Aufruhr An-
no 1516. die außgetriebenen Rathsh. Personen und Bürger wiederumb ein-
und zu ihren Ehren. ämptern lassen müssen/ worbey es auch bis auff heuti-
gen Tag verblieben. Hoc caput itaque, ejusque renovatio impingit
in manifestam rerum aliter gestarum evidentiam, & memoriam ve-
terum turbarum nulla necessitate refricat. *Alio capite f. 62. sancitum*
est, ne Senatus creditoribus civitatis uturas, nisi fortè semeltris
temporis, præstaret, sine consensu der Vormünder und der gangen
Gemeinde/ sortis verò trientem tantùm solveret. Hoc etiam caput
scientem confirmasse Eminent. Electorem nunquam credemus.

Ad statum verò merè Democraticum inter alia multa pertinent,
non tantùm *electio tribunorum ad suffragia tribuum simpliciter dela-*
ta, sed & creatio Senatorum, tribunis & curatoribus populi commis-
sa, fol. 16. ad 30. quam formam usu & exemplo intolerabilem ipsi
ministri Moguntini & Commissarii Cæsarei prorogata scil. jurisdic-
tione Moguntinâ utentes, negligendam rati sunt. Licet enim plu-
rima suffragia tribuum ad tribunorum creationem admitterent, Se-
natorum tamen electionem reliquerunt Senatui & Tribunis Quatuor-
viris, Vid. recess. an. 1655.

Ex quatuor etiam Magistris Senatus duos ex opificum classe ad-
dendos sciscunt, (p. 31.) nullo, ut omnibus constat, effectu. Nam
unus tantum, isque postremus locus, opificibus patet. Eò etiam refe-
rendum, ut alter è præfectis ærarii, & quæstoribus aliisque ministris
publicis opifex esse debeat. fol. 32, 33.

Denique tota vis regiminis ad universitatem plebis defertur, cum
fol. 35. statuunt, Senatum quidem, ejusque quatuor curias (*quintam*
enim exemplo in an. 1660, à Barone Schmidburgio renovando, suppres-
serant,) deliberare posse & debere, de rebus gravibus, sed decretum
à 510

*à curatoribus populi & ipso populo faciendum esse, von den Vormü-
den und der Gemeinde. Speciatim verò Leges & Statuta ea ratione fie-
ri debere, p. 36.*

Jurati dixerint Saxonici ministri, & quicumque Eminentissimi
Electoris prudentiam norunt, (quis autem non novit & veneratur,) *ni-*
hil minus ei venisse in mentem, quam ut talem regiminis formam
in urbe, vel vicinâ, nedum in eâ, quam suam existimabat, introduce-
ret, ubi die Gemeinder omnes maximi, medioximi, minimi, ad suffra-
gia in omnibus gravibus causis vocandi sunt. Multum & nimium est,
curatores tanto numero, omnium tribuum & ordinum nomine in-
tervenire. Possent etiam certa negotia, si is est Democratia favor,
exprimi, ad universum populum referenda, sed omnes graves cau-
sas ad populum vulgare, ejusque suffragationibus committere, inau-
diti in Germania exempli res est, intolerandi verò Saxonie Principi-
bùs, qui urbis in meditullio provinciæ sitæ, bonum aut perversum
statum non possunt non curâ suâ complecti, experiundo edocti,
quæ mala aut bona, pace belloque inde sibi suisque extiterint.

Tantum itaque indultum est novatoribus illis, quos verè de-
scripsit expositio Saxonica, qualescunque ab aliis sint habiti, quan-
tum datum esse, ipsis jam displicet autoribus, moderamen & retina-
culum rei in præceptis missæ non obscurè desiderantibus.

Pag. 105. 106. 107. 108.

Quæ hæc, adversus justas Serenissimorum Saxonie Principum
querelas, non nunc demum, sed in tempore propositas, & Cæsareæ
Majestati plurimis scriptis exhibitas, fastuoso supercilio detonan-
tur, non alio nituntur fundamento, quam cujus firmitatem hucusq;
desideramus, nempe absoluti illius Principatus. Hunc si *confectum,*
certum, determinatum habent, non malè defendunt gesta Commis-
sar. Cæsareor. imò potius sua; Nam cui bono Cæsareæ Commissio
tanto labore & sumtu impetrata fuit? Hæc omnia & plura Princeps
absolutus gerere poterat. Sed summi in terris nominis majestas, ad
deterrendos, ut percipimus, Principes & ministros Saxonicos, & Er-
fordienses patrii juris intelligentes, *inventâ prorogationis cautela as-*
sumta est. Neque tamen feret verecundia temporum nostrorum, ut

prohibitæ & punibiles sint iusta, quas diximus, Principum & civium, patriæ causa malè habitorum, petitiones. Neque iis repellendis sufficit acta commissionis opponere. Vivimus sub legitimo Imperatore, & in Imperio iis legibus gubernato, ut etiam adversus acta commissionum & prorogatas jurisdictiones non desint legitima remedia, quibus non tam facilè privari se patientur Principes Saxones, aut eorum ministri, quàm facilè fuit assertoribus in convitia & minas hinc prorumpere, aut modis, quos satis intelleximus, & in parte gravaminis habemus, Senatores quosdam Erfurtenses reos peragere. Ex illis, qui supersunt, si audiantur, ut infimis precibus, & publicis implorationibus frustra hæcenus petiere, habebunt, quæ ad objecta respondeant, inter quæ scilicet invidiosissimum, sed & vanissimum est illud, *Trium aut quatuor Oligarchicorum hominum arbitrio anno 1636. Bannerio Suecico Duci*, urbem traditam. Ubi primò nemo credit, urbem populosam, à civibus custoditam, non clam aut noctu, sed claro die, a tribus hominibus dedi potuisse. Deinde verò ex actis constat, omnia Senatus Collegia, curatores populi, & tribuum in deliberationem vocatos, deditioi consensisse, sed peccatum dicent in eo, quod viritum non collecta sunt suffragia, secundum salutarem illam formulam an. 1510. Idem de cæteris, quæ longâ serie sequuntur, iudicium esto. Stant caduntque omnia cum Principatu Moguntino, huic qui se opponunt, *quia, Electorem in omnimoda sua turbarint*, rebellionis aut motæ aut protectæ rei sistuntur, *maleferiati, seditiosi, & cives & consultores* audiunt, & quid non aliud? Convitia enim omnia, quæ narratis his tanquam ornamenta styli ex locis communibus ab interpolatore interseruntur, si singulatim revocare ad animum, & retorquere aggrediamur, non dies, non pagina suffecerit.

Illud lepidum scilicet est, Saxonicas intercessiones largitione impetratas, ab exhaustissima nempe civitate & Saxonis illo tempore minimè morigera. Ingentes etiam pecuniæ summas Noriberga profudisse dicuntur delegati civitatis, quibus (ut rationes publicæ, & eorum, qui profecti fuere, testimonia probabunt,) cum vacuâ crumenâ eò missis, nisi viaticum mutuò impetrassent, mendicantibus domum remeandum fuisset. Spernitur denique & irridetur æquitas optimorum Principum, oblivionem antea actorum & sinceram ac stabiles
rei

rei in perpetuum componendæ rationes offerentium ; addito pulcherrimo epiphonemate, *Electorem Moguntinum, cum civibus suis agentem, non admittere expositorios arbitros.* Electoris & Principum Saxonorum arbitrium ei oblatum est, *amicum, æquum, moribus Germanis & dignitati Electoris non inconueniens, juribus Moguntinis veris, non extensis, in perpetuum utile.* Quod sic recusari, non ipsi, ut confidimus, placeat Eminentissimo. Si iniquiores metuantur arbitri harum rerum Saxonæ Principes, alios sui ordinis lubentes admittent, neque ministros, ne aperti quidem hostis, paci operam dantes, hunc in modum exagitari à suis sinent.

Pag. 108. 109. 110.

*Judicia eadem ratione ad summam potestatem pertinere, quocæteras summa potestatis partes, si per summam potestatem intelligunt majestatem universalem Imperatoris & Imperii, non errant. At si de summa potestate territoriali Principum Germaniæ sermo est, neque de alia esse debet, errant manifestissimè. Quis enim nescit judicia & judiciorum partes in Germania salvo summo Imperatoris judicio exerceri, & à Principibus, & à non Principibus; & à Principibus quidem tam intra territorium suum, jure territorii seu Principatus, quàm extra territorium jure particulari. Aut concedendum hoc est, aut dicendum: Archiepiscopos & Episcopos Imperii in Civitatibus quibusdam imperialibus, eas omnes jurisdictionis species, vel plures etiam exercentes, quæ Moguntinus Elector exercet Erfordiæ, civitatum illarum Principes esse omnimodos & universales. Itaque *Proreum* non agit, neque falsæ sententiæ autor est, qui statuit ex judiciis non argui jus Principis. Cætera non probantur sed jactantur, de concessa Erfurtensis administratione per modum privilegii, de judiciis ordinariis in universam civitatem, de civitate non semel jure ordinarii punita, & de omnimoda jurisdictione & illius ministris. Schwindius denique hic iterum vapulat, & quod nemo vel fando audivit, Consiliarius Saxonicus fuit: Ejusque scripta vigore pacis publicæ restituenda sunt, cum aliis scilicet quæ detineri nefas est. Certe si quid ea ratione, quæ paci publicæ adversatur, detineri probabitur, æqua omnia impetrabunt Assertores. Sed non est operæ pretium,*

(ita

(ita nos verba pag. 111. commonefaciunt,) singulis ineptiis immorari.

Egregiæ tamen interpretationis specimen dignum his auctoribus præterire non debemus p. 109. & 110. ex Gerhards concordatis exhibitum. Ex his enim *jurisdictionem omnimodam, mixtum & merum imperium, plenitudinem potestatis, jus pacis & belli, facultatem in usu necessitatis, etiam bonis civitatis & civium jure superioritatis utendi*, feliciter, si diis placet, eruunt, deducunt, probant. *Tantum bonum* hecatombe dignum, debent duobus verbis, **Kampff/Nothnunfft.** *Hec enim verba* (aperiant hic oculos Erfurtenses supra p. 103. cum nihil spectatu dignum esset, nec quicquam vocati,) *more seculi* (imò more assertorum) *intellecta, omnia jura continent, quibus & civitas quævis sustentatur, & jus Principat^o exercetur.* Quamquam verò hæc retulisse non multo minus est, quam refutasse, insistendum tamen est aliquatenus cavillationi insigni detegendæ.

Conventum erat inter Henricum Archiepiscopum, & civitatem an. 1287. ut ad finiendas controversias civitas omnia jura Episcopalia scripto consignata Archiepiscopo exhiberet, ea scil. probaturo & subscripturo. Id mortuo interea Henrico, factum est à Successore Gerardo anno 1289. Hic enim exhibitum ab urbe iudicem jurium Archiepiscopalium recognovit, & sigillo confirmatum civitati remisit. *Primum & secundum caput indicis complectitur jurisdictionalia*, his verbis antiqui idiomatis: **Sie hebet sich das Gerichte des Erzbischoffs und seines Stiffes von Mainz / das er hat in der Stadt zu Erfurth / Amen.**

Man bekennet dem Erzbischoffe von Mainz an seinem Gerichte zu Erfurth **Kampffs / Gottesfriedes und Burgfriedes / und seiner Achte** auch der **Nothnunfft /** und alles des Rechtes / das er von Alters her an seinem Gerichte gehabt / und wo sein Schultheis oder sein Richter nicht viel wol zu Erfurth gerichten mag / da sol der Rath zu helffen endeliche / der des Jahres ist / daß dem Erzbischoffe recht geschehe / und auch dem Kläger / wenn der Rath des gemahnet wird / von dem Richter des Erzbischoff.

**Von dem Gottesfriede / und von dem
Burgfriede.**

**Nemand sol den andern beklagen umb Backenschläge / oder umb
Schelpe**

Scheltwort / oder umb Rauffen / in dem Gottesfriede / und in dem Burg-
friede / es sey Blutrünst oder Heimsuche / oder Todschlag / oder Knütteln
mit bedachtem Muth.

Non vacat onomasticon scribere, quid sit **Gottesfried** / **Burg-
fried** / **Kampf** / **Nothnunst** / extant commentarii tales, extant variis
locis Diplomata, unde sensum vocum istarum, ex more seculi vel inter-
pretari vel divinare liceat. Hoc tantum expendi petimus, si hæc verba,
quæ omnia ad forenses tricas, vetustasq; judiciorum formulas nemo
non referet, tanta jura belli & pacis, & eminentis Domini, in bo-
na civitatis & civium continent, cur ad judicem & Scultetum Mo-
guntinum deferuntur? cur, si is jura hæc tueri & exequi non potest,
Senatus Erfurtensis ad ea vocatur? cur actoris **des Klägers** fit men-
tio? cur plenitudo potestatis & jus pacis & belli & collectarum, his
verbis nempe indicata, **der Kampf** / **die Nothnunst** / exerceri
debent coram tribunali, **an seinem Gerichte?**

Quis Germaniæ Princeps unquam hæc per Prætores & ejus ap-
paritores expedivit? Quis Senatui municipali jura belli & collecta-
rum expedienda commisit, & non potius in iis casibus ad se revoca-
vit, quibus impares essent ministri? Ridiculum hoc & nugatorium
interpretamenti genus, puduit profecto ministros veteres Archie-
piscopales. Illi enim civitati, hunc indicem, in argumentum parti-
cularis, quam Moguntinis Archiepiscopis non negat, jurisdictionis
& potestatis, & contra omnimodam alleganti, non verba hæc præ-
toria, sed clausulas quasdam reservatorias objecerunt. Videatur
Wolffgangi Archiepiscopi replic. 1591. §. Deme aber etwas etc. & seqq.
ubi operosè laborat, ut persvadeat Cæsari, reservatam esse tacitè o-
mnimodam superioritatem, in illis ipsis Henrici & Gerhardi pactis.
O simplices illos & imperitos *morum seculi* & bonis interpretibus
destitutos! qui non intellexerint, **Kampf** / esse jus belli & pacis, &
Nothnunst / esse facultatem bonis civitatis & civium pro necessi-
tatis usu utendi.

Erfurtenses verò spectatum admissi, non de risu tenendo, sed
de misera conditione suâ acerbè deplorandâ, cogitent, qui magni-
ficis hæctenus promissis, de munificentia Archiepiscopali, & de am-
plitudine privilegiorum deliniti, *duobus* verbis subito dejectos se esse

deprehendent etiam de statu civitatis privilegiatæ, ad quem tamen
ipsis nolentibus volentibus induendum, omnis impenditur labor.
Ecquid enim privilegiorum habet Erfordia, si non ipse tantum Ar-
chiepiscopus, sed & ipsius *Sculterus* in civitate exercet jus belli & pa-
cis, si utitur bonis civitatis & civium, & omni plenitudine potesta-
tis? Nam si verus est hic verborum sensus, verum etiam est, hæc om-
nia exerceri *in iudicio, am Gerichte / & à Scultero*, nam de his
omnibus unâ periodo, uno sensu loquuntur verba indicis sive pacto-
rum suprâ relata. Non est itaque, ut de privilegiis, nedum de supe-
rioritatibus in Alberti Archiepiscopi concordatis expressis; non est,
quod de Imperatoriis concessionibus, quas ipsi Archiepiscopi lau-
darunt, & conservandas tuendasque receperunt, ut vel maximè ex
fœdere Joannis Lucelburgii probatum supra est: non est, quod de
ulla Archiepiscoporum gratia sperent aut gloriantur Erfurtenses in
civitate ad formam ignobilissimi cujusque municipii, à Sculteto re-
gendâ, cui plenitudo potestatis, omnimoda jurisdictio, *merum & mix-
tum imperium, facultas bonis civitatis & civium utendi competit*, quæ
omnia pro tribunali exercet, & in *domnuculis* illis *Gerichte /
Häuslein* / in quibus iudicia Moguntina Erfordiæ haberi solent,
expedit; Senatu tantum id, quod Scultetus aut non vult, aut non
potest, secundariâ vicariâque operâ exequentes. Hæc est illa Privile-
giaria, ut loquuntur, forma, quam in administrationis liberæ sub
protectione Sazonica, exercendæ, locum, omni ope, consilio, labo-
re, sumtu, surrogatum eunt consultores, Assertorum doctrinam am-
plectentes.

Pag. III. III.

Expeditum mendacium solitâ modestiâ objiciunt Saxonis,
legum ferendarum & disciplinæ publicæ potestatem Erfurteni civi-
tati tribuentibus, invictis documentis contrarium scil. probaturi;
Utinam unam saltem legem, unum programma, qualia in municipiis
suis & in pagis quinque urbi proximis, sæpissimè proponere solent,
Erfurti etiam vel executioni mandatum vel propositum saltem pro-
tulissent, ne mendacii flagitium, quod Saxonis impingunt, in se reci-
deret. Sed innumeras leges & edicta ediderunt, & proposuerunt
Consules & Senatus, nulla mentione Archiepiscopi facta. Nam he-

60



terogenea sunt, quæ probationis loco obtruduntur. Wernerus Archiepiscopus meritò requisitus est, ut concederet lanionibus & pisto-ribus alio loco vendere carnes & panes, quàm illo, (*der Fleisch- und Brot-Bäncken*) ex quo census, sive canonem Archiepiscopum antiqvo more solvere debent. Hoc enim inter jura est particularia, Archiepiscopo l quidò competentia. Etiam qui Monachos & Judæos expulerunt, Archiepiscopi juribus derogantes, ad satisfactionem debitam non injuriâ sunt adacti. Nam Monachis ab Episcopo tutela debetur, & ex Judæis redditus quidam ad eundem pertinebant. Quosdam dicimus non omnes, nam Cæsari etiam, qui Erfordix erant Judæi census præstabant: argumento est, quod eum Ludovicus Imperator genero suo Friderico Landgravio Thuringiæ ad vitæ dies assignavit, diplomate anno regni 16. Imperii 13. id est ann. 1326. quinta post diē Pasche dato, ad civitates Erfort, Mühlhausen, & Northausen, his inter alia verbis, *Generum nostrum carissimū ex solita benignitatis clementia favorabiliter duximus decorandū, ut omnes Judæos & singulos in Landgraviatū Thuringia, Misnia & Orientalium terrarum Marchionatibus (im Desterlande) prædictis ac vestris locis & oppidis prescriptis, ubi libet constitutos, vice & nostro nomine & Imperii detinere, ac possidere, ab ipsis quoque stearas seu collectas nobis ac Imperio jam multis annis neglectas solvere, & adhuc persolvendas, usque ad suæ vitæ exitum recipere debeat ac possit.* De mensura vini à civitate mutata, & ab Archiepiscopo restituta dubitamus. Pertinet enim hæc quæstio ad primum conventionis in Camera caput; videantur articuli n 13. 14. 15. quibus queritur Archiepiscopus, civitatem vini mensuram se in scio mutasse; Verum absoluta fuit ab hac actione civitas, & ista imminutio & redditus inde quæsitus, ad hunc usque diem à civitate continuatur. Denique de antiqvo ritu, sive jure quodam imaginario, *imagines nempe & baculum Heiligen und Stab* / decurionibus opificum quorundam concedendi, nulla est controversia, sed ipsæ leges collegiorum mechanicorum à Senatu feruntur & sanciantur: Nulla itaque à more illo antiqvo superstizioso & ludicro, ad legislatariam potestatem est argumentatio.



Præter alia § 42. & 43. in libello Saxonico verè narrata, & invi-
 ctis documentis probanda, etiam hæc dixerat autor: *In pagos & ca-
 stella, quæ extra urbem ad civitatem Erfortensem pertinent, nihil juris
 esse Archiepiscopis, quod § 42. his verbis breviter expresserat, in pa-
 gos civitatis nulla est Archiepiscopo Jurisdictio.* Hoc nemini ignotum,
 & ab Archiepiscopis, quod sciamus, nunquam negatum, in dubium
 tamen vocant, & impudentiæ arguunt Scriptorem Saxonicum, ea,
 quæ allegavimus, statuentem. E diemetro enim ajunt contradici sen-
 tentiæ Camerali, *in conventione tertiâ.* Deus bone! quò non abri-
 piuntur homines cum serviunt causæ. Quid *tertia conventio*, ad pa-
 gos & castella civitati subjecta. Cuiquamne juris Saxonici & Erfur-
 tensium rerum non ignari, fides fiat, illa actione petitam aut obten-
 tam esse ab Archiepiscopo jurisdictionem in pagos civitatis? nihil
 minus: de agro civitatis proximo & suburbano, qui vocatur **Das
 Weichbild** / quæstio fuit, nulla de pagis civitatis, in quibus nullam
 unquam jurisdictionem sive civilem sive criminalem exercuit vel Ar-
 chiepiscopus vel Scultetus ejus. Neque magis ad rem facit exemplum
 pagi **Hochheimb**; Nam is notoriè Moguntinus est, civitatis ju-
 risdictioni minimè subjectus, unus nempe è quinque, qui ad allo-
 dium sive curiam Moguntinam in Urbe pertinent. Judicent itaque
 omnes de candore & modestia Assertorum, tot exemplis jam osten-
 dentium, quàm nullâ verecundiâ aliud pro alio substituant, quidli-
 bet ex quolibet argumententur, & quasi re præclarè demonstrata Sa-
 xonicis superbè insultent.

De collectis Imperialibus, quæ narrant, facilimo negotio refel-
 li possent, ex documentis & scriptis Erfurtensium, pro hac causâ
 summoperè laborantium, sed non opus est acta omnibus exposita
 exscribere. Dogma, *quod collecta testentur de jure principis*, in alio
 orbe non in Germania *pro universali* venditandum est. Certè ubi
 constat de jure Principis, testabuntur de eo etiam collectæ, sed à
 solis collectis Imperii ad superioritatem non procedere argumen-
 tationem, juris publici in Germania periti nunquam dubitarunt: vi-
 dea-

deatur ipse, quem laudant *Klockius*, quemque civitas quaedam satis celebris, nuper admodum allegavit.

De quota collectarum viderint Erfurtenses, quam sedulo hic struatur machina, unde ipsis quota collectarum quantumlibet libuerit, imponi possit. *Finem quidem controversia de quota status esse ajunt, sed ejus dicti citò nimis obliti pag. 115. gratiosa saltem & temporaria concessione quintam aut septimam partem sustinerè civitatem scribunt.* De stylo Mandati Cæsarei, & præcipuè de eo, quòd an. 1652. adversus civitatem emissum, & *Limprechts arte dissimulatum est, habent, quod querantur Saxoniae Principes, & civitas: sed de jure suo adversus prætentam superioritatem, ex collectarum jure deductam, multis nominibus certi, non peccabunt, si verba mandatorum, se inauditis concepta, pro sententiis & rebus judicatis non habeant.* Admirabilis verò fuit solertia, ab Imperatore Maximiliano II. an. 1572. cessionem Cæsarei juris in Erfordiam impetrantium. Non levem sane dubitationem de jure suo profitentur, qui Imperatorem inducunt *alternativè loquentem & disponentem, ut dicat aut jure ordinario collectandos esse Erfurtenses, si subditi sint Moguntini, aut jure specialis indulgentiæ, si sint cives Imperii immediati.* Non injurià dicunt, verba esse insignia, quæ ex diplomate Imperatoris allegant, sed institutio nostro longè, quam illorum asserto, sunt utiliora. Documentum etiam inde capimus, quam sæpè optimi & mitissimi Imperatores precibus fatigati, indulgentiores sint, quam merentur precantium jura: Aliter statuturi, si ad causæ cognitionem res deducatur. Hic ipse Imperator Erfurtensibus, an. 1572. scil. ut audimus jam præjudicio damnatis, cum ei 8000. florenos ad bellum Turcicum ann. 1574. solvissent, in apochâ 6. Septembr. data, & à Civitate an. 1608. in Camera producta, testatur: *Solutionem illam civitati innoxiam fore, nec præjudicaturam actioni adversus Archiepiscopum Moguntinum collectarum nomine in Camera pendenti, cum si contingeret, ipsos causa cadere, hanc summam Archiepiscopo imputandam esse.*

Pag. 114.

Ementiri dicunt hic eos, qui negarunt tributorum ordinario-
rum Land Steuer / nomine, aliquid unquam ad Archiepiscopos

d. 3

per-

pervenisse, utque servilis convitii causam adstruant, *Praxin in con-*
trarium notoriam, & infinita testimonia verbo crepant, rei ipsius ne
unicum quidem exemplum unquam prolaturi, quod æquis iudicibus
approbent. Hoc cum ipsi remordente conscientia videant, ad solitas
confugiunt artes, & manifestâ cavillatione allegant *concordata Ger-*
hardi, Alberti & Bertoldi: ubi Archiepiscopis deberi asseritur *Grey-*
Zinß / Mark-Geld / Schlägeschaz. Argumentum tale à ba-
culo ad angulum pueri irrident: Quid enim reditus isti ad collectas
& tributa? Attamen velut re bene gesta largi incommata, etiam *ma-*
chinas Willerianas Scriptori Saxonico exprobrant, quæ quid sint, il-
le plenissimè profitetur se ignorare. De literis, quas Erfurtenses
Knüttelbrieff vocant, Alb. Archiepiscopo datis, illi potius *vete-*
rem recogunt cramben, qui jus collectarum in tali documento fun-
dant, quod in manifestâ civitatis confusione, sive minis extortum,
sive persuasionibus impetratum fuit; alterutrum certum est. Ideo-
que altero statim anno, nempe *1516. die Martis post Bartholomæi* (ante
transactionem cum Saxonis initam) ministris Moguntinis pro-
missum urgentibus, ostensæ sunt in curiâ literæ reversales Adolphi,
ad quas nihil responderunt, vel ut Erfurtenses referunt, als sie die ge-
lesen hatten / konten sie uns nichts mehr anhaben. *Vide Meichsner. Tom. 2.*
lib. 1. decis. 9. p. 830. Utrum ergò nunc, meliori jure post annorum 150.
decursum, vel urgeant civitatis, vel destruant Adolphi Archiepisco-
pi promissiones, dubitare licebit. Sed easdem Adolphi literas aliis
etiam adoriuntur machinis. *Primo temporaneas* dicunt, quod cum
nulla ratione firment, refelli non meretur, non magis atque *alte-*
rum, quod *Private* vocantur hæ literæ; Privatus enim Adolphus
Archiepiscopus, sine Pontificis & Imperatoris injuria, à quibus con-
tra Dieterum defendebatur, dici nequit. Privatis scilicet literis hisce Er-
furtenses à Dietero abstraxit, atque ad eum privatim ad potestatem au-
toritatemque in urbe pervenit. Quod si privatæ ideo sunt, quod con-
sensus Capituli, ut tertio loco ajunt, non accessisset. exemplum præbent,
quod sequantur Erfurtenses; hæc tamen acriter reprehensi, quod
quando Eminentissimi Electoris Epistolis etiam privatis, & per me-
dium eius *Hand-Briefs* scriptis, non eandem, quam documentis cum
Capituli consensu formatis, vim inesse crediderunt. Sed neq; Adolphi

literis defuit Consensus Capituli, nisi omnino falsus est referens in
caussa primi Mandati an. 1557. apud Meischnerum d. l. p. 825. ubi ex-
ceptiones Erfurtensium enarrans, hæc habet: Reos possessionem liber-
tatis probare, **Durch eine Verschreibung Adolphi Archiepiscopi**
de an. 1463. die Agnetis datirt / und mit Archiepiscopi & Capituli
Sigillis bestetiget / qua sigilla in priori lite ex adverso agnita, &c.
Neque replicatum fuit ante hæc à Moguntinis de defectu consensus
Capitularis, sed alia effugia qua sita sunt, quæ legere licet apud eundem
Meischner. pag. 833. non meliora, aut eadem cum iis, ad quæ hic etiã
respiciunt, de auxilio ad Novesium, quod sive precario præstitum est,
ut ajunt Erfurtenses, dictisque suis firmandis literas Archiepiscopa-
les allegant; sive in casu, quo Imperatore etiam expeditionem urgen-
te, militiã defungi non poterat civitas, trahi nequit ad tributa pro-
vincialia, **Land-Steuren /** aut expeditionem provincialem, **Land-**
Des Folge.

Parum itaque virium in responsis suis deprehendentes, ex se-
cundâ argumentorum suorum acie cavillationes succenturiant. Qua-
lis profecto est hæc, cum Adolfum ajunt non promississe se privile-
gium non velle impetrare, sed non velle eo uti. Hanc temeritatem
interpretandi promissiones Principum, non possunt non detestari
cordati & boni quotquot sunt in Germania, aut extra eam, Nos ab
ea calliditate Adolfum absolutum cupimus. Verba ejus hæc sunt:

Und wir wollen auch die von Erffurth bi alten Friheiten und Her-
kommen unverletziget bleiben lassen / des Stiffes Verschreibung halten /
ihnen des Versicherung und Verschreibung nach Nothdurfft darüber ge-
ben / als unsere Vorfahren gethan haben. Und ob jemand sie darwider mit
Dumverung / oder andern ungewöhlichen Fürnehmen / das vormals nie
gewest und unbillich were / beschweren wulte / nach allem unsern Vermögen
Vertheidigen. Und ab uns einge Freiheit von eigenem Willen
oder anders verlihen würde / daß die von Erffurth uns
wieder jr alte Freiheit und Herkommen / Hilf adir Dienste
thun sollen / der wollen wir wider sie nicht gebrauchen. Und un-
sern Hof und Berechtigkeitz zu Erffurth von unserm Stiffe und der Stadt
nicht verusern / sondern es damit halten / nach lute der Päpstlichen Bullen /
die die von Erffurth jekund von unserm heiligsten Vater / dem Pabst Pio
dem andern / darüber erworben haben.

Præ

Præfagos futurorum fuisse dicas & Archiepiscopum concedentem, & Erfurtenses paciscentes. Itaque Diploma hoc non tantum veterem libertatem urbis à servitiis, **alt Freyheit und Herkommen** agnoscit & firmat, sed & concessionibus sub *clausula motus proprii*, aut alio modo, (**anders**) per *suggestiones forte ministrorum novaturientium* impetrandis renunciat. Hæc generosè & bona fide, & clausulis in Pontificum diplomatibus non insolitis promittenti Archiepiscopo ex suo ingenio astum ignobilem tribuunt, quasi id egerit, ut *liceret Electori Moguntino, non obstantibus pristinis libertatibus Erfurtensibus, nova privilegia impetrare.*

Pag. 114, 115.

Gerris Siculis, modesto, si ad cætera referatur, dictorio comparantes, quæ de gabellis diximus, non opus est, alio quam eodem joci genere amoliri. *Gerras* ejusmodi *hic garrunt*, cum negant, quæ ex actis Principum & civitatis validè asseruimus; cum clausulam quamcunque sententiarum Cameralium, ad confirmandum jus Principatus Moguntini, etsi in litem, ut ajunt, non deducti, sufficere dicunt, cum toties de jure Landgraviatus per pacta & privilegia non amisso, sed temperato admoniti, eadem tamen semper regerunt.

Pag. 115.

Collectas in pagis civitatis jurisdictioni subjectis, ad Moguntinum Electorem nullo jure trahi, satis ostensum est, §. 46. *Expositionis*. Nondum probatum fuit, ad quotam Moguntinæ collectæ faciendam vel collectatos esse, vel collectari potuisse pagos. Adversatur id juri Principum, & promissis & actis Civitatis, cujus literas supra ad p. 19. produximus, optimam interpretationem pactis ann. 1533. daturas. Nam urbem non dubitasse ex transactione illa deberi collectas, in casu publicæ necessitatis Saxonæ Principibus, ex professione illa & præstatione collectæ manifestissimum est. Duplici autem onere nemo est gravandus. Minimè igitur vacillat fides, transactionem illam non interpretantis, sed ejus dispositionem summam referentis. Vacillat autem candor, partem tantum negativâ transactionis referentium, integra enim alleganda erat, cujus hæc sunt verba:

Don

Von zukünftiger Anlage in des Reichs oder Landes
des Noth / und wess der Rath von wegen der Sächsl. Lehen
dissals zu thun schuldig oder nicht.

Da auch künftiger Zeit die Landschafften umb offenbahrer und künd-
licher des Reichs / oder des Landes Noth und Errettung willen / sich anle-
gen würden / sol in dem fall von wegen der Sächsl. Lehen nichts benommen /
sondern fürbehalten: Was aber sonst die von Erffurth von solchem Lehen
bey Herzog Wilhelm / Herzog Ernst / und Herzog Albrechten / noch der
vorigen Landgrafen zu Thüringen Zeiten / nicht gethan / noch zu thun schul-
dig gewest / damit sollen sie hinfürder durch das Haus zu Sachsen / auch nicht
beschweret werden.

Qvis alium hinc sensum eliciat, & per compendium verborum
enunciet, quàm illum, quem dedimus, & rerum ipsarum usu & Er-
furtensium confessione probavimus, *Civitatem nempe prestare debe-
re, pagorum nomine, qua præsstitit tempore Wilhelmi Ducis.* Et hæc
ipsa transactio eatenus Erfurtensibus favet, ut aliquorum pago-
rum nomine nihil præstent Saxoniarum Ducibus. Ne tamen in publi-
cis provinciarum & Circuli Saxonici necessitatibus immunes sint, in-
de est, quod à statibus circuli Saxonici, sæpissimè de subsidiis ad fi-
scum circularem; vel de suppetiis ad communem defensionem fe-
rendis interpellati fuerint. Neque tamen hæc circuli intentio, aut
Erfurtensium ad præstanda, quæ præstari fas est, propensio destruit
rationes Principum Saxoniarum. Feriet itaque quos debet epiphor-
nema illud *de dissipandis divinitus consiliis, quæ adversis frontibus pu-
gnant*, Saxonici certè prophetiæ hujus eventum nec metuunt, nec
meriti sunt.

Ad eand. pag. 115. & 116.

Frustrà irrident dictum Saxoniarum de jure monetæ ex more
Germaniæ considerando. Quidni enim *politica pro locorum varie-
tate variet*, quando cum locis, legum & imperiorum forma variat?
Monetæ jus à Majestate Imperatoris olim minimè communicatum,
postquam communicari cœptum est, concessionis non fuit unus idè-
que modus. Nec Principes tantum, & status Imperii, sed & alii, hac
parte sensere benignitatem Imperatorum. Itaque rectè diximus, ar-

§

gu-

gumentum in Germania de Moneta ad Principatum territorialem; non esse universale. Et quid aliud dicunt Moguntini, cum statuunt, jus Monetae, si eo modo habeatur, quo habet Elector Moguntinus, verissimis regulis, & juribus supremae potestatis esse accensendum. Probandum fuerat, quod praestruerant, jus monetae universaliter arguere supremam potestatem: hujus loco substituunt thesin, reclamante Logicorum Schola, modificatam, particularem, nunquam probandam; & pro argumento conclusionem suggerunt, Jus monetae eo modo habitum, quo habet Erfordia Elector Moguntinus, arguere jus supremae potestatis. Modus ille habendi, summi imperii index, imò summum imperium ipsum demonstrari debuerat, sed hoc frustra ab iis expectes, qui non probandi, sed asserendi & convitiandi provinciam sibi sumere. Modum etiam Monetae, minuta scilicet & ad telonium forense, **Den Schlägeschatz** pertinentis, si explicassent, prodissent totam hanc de moneta causam: sed cum diligenter tacent, & tanquam de moneta regali indifferenter statuentes introducunt Archiepiscopos: Saxonicos verò Principes proprio & nativo jure Erfurtensibus universalem monetae legem, sicut ceteris subditis suis imponentes, importunè removent, eosque ex Principibus, vicinos Erfurtensium faciunt, modesti illius exemplo, quod edunt in proximè sequentibus, ubi tanquam haecenus dicta & asserta omnia probassent, triumphum denuo intonant, de probato Principatu Moguntino, de Privilegiis & gratiis civitati concessis, de harmonia inter Principes & subditos, de seditionum semine à Saxonis subministrato, de consensu Imperatorum, Camerae & Commissariorum Caesarorum, superioritatem Moguntinam stabilientium, & ne quis adversus haec hincere audeat, exitiabilem furorem dissentientibus imputant.

Pag. 116. 117. 118. 119.

Qui furorem objiciunt jura Principum suorum modestè propugnantes, furentium profecto personam hinc induunt, aut Pythiæ carmina pronunciantium; prompti enim & volentes resolvuntur in convitia:

Non tentantes; magno spectore possins

Excussisse Deum

Ostravidum, fera corda domantem

¶

Et primū qvidem Christianam fidem implorant, juramenti scil. Erfurtensis interpretatione læsam: quasi novum quiddam aut aliud dictum esset, quod non ipsa jurisjurandi formula manifestò demonstraret, omniq; tempore dixerint Erfurtenses, qui etiam eo proveci sunt, ut scriberent, referente ipso Wolffgango Archiepiscopo, *in replica an. 1591. §. Was denn mein Rath noch ferner ic. non plus jurari Archiepiscopo, quam pauperrimo cuiq; Civi Erfurtensi.* Neque tamen ideò Anabaptistæ aut Quackeri ab ipso sunt vocati, quo nomine perstringendos existimaverunt Saxonicos ministros; tanto quidem petulantius, quanto moderatius hi locuti sunt, neque *exagvari* indistinctim dixerunt Archiepiscopos & cives, sed addidere restrictionem, *quantum quidem ad conservationem jurium uniuscujusq; pertinet;* Quæstio nempe sola & unica est, an jus Moguntinum sit jus Principatus universalis; Hoc si probatum fuerit, aut si appellatione *domini* id ipsum exprimi, aut alias constare de jure Principis verè & legitime ostenderint & evicerint, tunc consentientes nos habebunt, juramentum Erfurtense æquipollere homagio subjectionis. Sed illa omnia, quæ *de hereditario, & vero, & ordinario domino, & de Domino simpliciter, tanquam certa, indubitata, ab omnibus agnita afferunt, nos incerta, dubia, vocabulis meris, aut particularem potestatem significantibus nixa, minime probata, in victis argumentis refutata,* dicimus, judiciumque pati possumus legitimum & tale, ad quod pag. 119. iterum notabiliter provocant, cum ajunt, *in ejusmodi quaestionibus esse, quæ statui Imperii etiam in Camera abjudicari nequeant.* Cætera longè minus, id quod volunt, efficientia, partim etiam aperte falsa sunt: quale est cum p. 117. asserunt, juramentum, quod *im Einritt præstat, jurari quotannis Erfordiz.* Festivi etiam sunt in veteri cantilena repetenda, de ministris, in formula juramenti Principi adjunctis. Nullus unquam ne Erfurtensis quidem tribunus aut curio tam stolidus erit, ut ista credat nugamenta, neque magis etiam ea, quæ de Comitum & Vice Dominorum jure recoqvunt. Ex eo tamen quid sequatur ad summæ potestatis argumentum nescio, an suâ stupiditate an argumentantium vitio non vident Saxonici, donec evictum fuerit, vel Comites & Vice Dominos partem supremæ potestatis habuisse, vel meros Moguntinz potestatis ministros fuisse, Ta-

les verò non fuisse, apparet inde, quod æquali juramenti forma, Principi non subordinati, sed adjuncti fuere, more ridiculo, nec ratione aut exemplo ullo probando, si ministri fuissent. Quis enim ferat Princeps, eodem modo ministris suis, sine mentione dependentis à se ministerii jurari, ut fiebat scilicet illis verbis: Unserm Herrn dem Bischoff/ unserm Herrn dem Grafen/ unserm Herrn dem Bisdom. Hæc tamen credenda nobis sunt, aut exaudienda imprecatio perquam lepida, de *illis rumpendis*. Etsi autem juramentum annuum non præstent Erfurtenses Principibus Saxonis, nihil inde adversus Principum jus concluditur, quibus alio modo devincta est civitas. Non jurant Principibus, neque Comitum Thuringiæ, neque Equestris ordinis subditi, manet nihilominus jus Principum, quis nescit homagium signum esse aut effectum, non causam subjectionis? sed Archiepiscopis forsitan optabilius esset, nullo, quam hoc juramento civitatem obstrinxisse; nisi bonâ fide agnoscat, veteres Præsules de Principatu & homagio subjectionis ne cogitasse quidem: Et juramento illo, quali etiam liberæ civitates Episcopis obstringi solent & possunt, satis prospectum juribus suis existimasse. Postquam verò Astra ista moderata ad vera & particularia jura potestatis, in cœlum recessit, ejusque loco Pandora hæc omnimodi Principatus ad turbandam felicitatem & quietem urbis & provinciæ comparuit, de Homagio etiam introducendo, spretâ, quod negari nequit, *pactorum Bertoldi aternitate* serio cogitatum est; frustra quidem, ut tandem per multas ambages ipsi profitentur assertores. Ab iis candidum responsum, si talibus syeti essent, expectassemus, *anne juramentum illud Urielis tempore correctum, pro legitimo habeant, nec ne?* Hactenus enim pro temporum ratione variatum, & hic specimen datum est, interpretandi Camerales sententias, & ad judicium aliud provocandi, cujus dicti in loco meminisse juvabit. Sed præstat interim sententiarum indubiæ veritati inniti, & rerum sensuumque testimonio, quo constat, juramentum in turbis an. 1510. plebis studiis mutatum, Decreto Imperii eodem anno suspensum, post transactionem an. 1516. prorsus sublatum esse, quod in libello Erfurtensi an. 1605. art. 396. ad 400. his verbis masculè exprimitur.

Wat/

War/ daß ein Rath mit Bischoff Bertholden Verträge auffgerich-
 tet/ darinnen klärlich bekant/ daß etliche seiner Vorfahren / des Endes und
 Huldung halber/ mit dem Rathe irrig gewesen/ aber gewilliget sey/ nun und
 hinfuro ewiglich den alten End / (dessen forma oben verbotenus zu befin-
 den/) anzunehmen. War / obwol in diesem Erzbischoff Berthold den
 Unfug/ den man mit Enderung des alten Endes/ vordessen unterstanden/
 agnoscirt/ so ist doch solche Fürstl. Zusage nicht gehalten/ sondern bald her-
 nach an. 1510. im Auffruhr durch Erzbischoff Urteln / eine andere Form
 des Endes in heiligen Pfingst-Tagen zur **Hulde und Treu** erzwingen
 worden/ welcher aber nicht länger / als der Auffruhr/ nemlich an. 1516.
 inclusivè gewähret / geleistet / aber an. 1517. wiederumb zu dem alten End
 geschritten worden. Daraus denn offenbahr / daß der gewöhnliche End/
 Mainz keine Hulde oder Treue/ vielweniger gängliche Majorität bringet/
 sonsten man die gefährliche Mühe der Veränderung unterlassen haben
 würde. War/ daß auch der neue End auff Klage etlicher im Auffruhr
 aufgejagter Bürger / vornemblichen aber des Chur-Fürstlichen Hauses
 Sachsen durch einen Käyserlichen zu Augspurg gegebenen Recels, auff-
 gehoben und suspendiret worden.

*Certè Erfurtenses hæc exactis narrantes, & secundo reconven-
 tionis capite eadem prolixius deducentes, nemo perduelles aut irre-
 ligiosos dixerit, nemo Principes transactioni suæ an. 1516. insistentes,
 aut ministros eam allegantes, divina aut humana Majestatis contem-
 tores arguet, nisi spontaneum furorem, verenda nomina laceffendi,
 induens, aut aliena jura invadens, et, ut ajunt, violaturiens.*

*Suo autem jure Erfurtenses libertatem servare posse, nec esse,
 ut ad privilegiatum statum se recipiant, dixisse satis meminimus. Ne-
 que tamen admittimus violentam expositionem, quasi suo jure idem
 sit, ac si dictum fuisset Jure Principis. Nondum enim eò descendi-
 mus, ut jus Principis Erfurtensibus adseramus. Suo autem jure u-
 runtur, suumq; jus habent, quod opponant Moguntinis, etiamsi jus
 illud nitatur vel Principatu, vel protectione Saxonica, vel alio titulo.
 Sufficit enim à Moguntinâ concessione illud non derivari.*

Pag. 119. 120. 121.

Schwindii defensionem, hic iterum miserè habiti, non est,

ε 3

quod

quod suscipiamus, defenditur is manifestissimis pactorum cum Alberto Administratore clausulis. Neque *Regneri Sixtini* consilium, plus nocuerit Erfurtensibus, quam profecere tot aliorum *Jctorum* consilia, pro libertate eorum data: sui cuique sensus, & consilii libertas est. Nectamen satis cautè consilium Sixtini adversus semetipsum allegant, ea parte, quâ statuitur Erfurtensibus de religionis exercitio, *Recessu Imperii* satis prospectum esse. Quis autem recessus Imperii prospexit Erfurtensibus, quam is ipse an. 1555. in protectionis Saxonicae & libertatis civicae firmamentum, à nobis allegatus, sed ex adverso præfractè negatus.

Tandem verò repertum est illis dictum nostrum, quod *flagitiose & scelerata doctrina* accusari mereatur. Ad hanc actionem convocant omnes Germaniae Principes; sed frustra, & per nefariam maledicendi libidinem. Quis enim è Germaniae Principibus & Juris publici peritis mixturam imperii & potestatis in aliquibus civitatibus, tum jus & consuetudinem partes etiam potestatis tuendi, ignorat? Retulimus supra Camerae adsessorem his ipsis penè verbis, mixturam & exemptionem, & Exemptorum jure proprio se tuendi potestatem, asserentis; nam *Grotium* quique ad eum novissimè commentati sunt, eadem dicere, assertores fortè non ignorant. Consulatur *Grot. de jur. bell. & pac. lib. 1. c. 3. §. 17.* & ad illum novissima *commentatio Argentoratensis* p. 151. Ibi: *Quicumque habet unum jus Majestatis, is contra non habentem (etiam Principem, qui hic non spectatur ut Princeps) naturaliter id tueri posse intelligitur.* Addatur *Grotius* lib. 1. cap. 4. n. 13. ubi ita statuit, *si Rex partem habet summi imperii, partem alteram populus aut Senatus, regi in partem non suam involanti vis justa opponi poterit, quia eatenus imperium non habet.* Ad quæ *Commentationis* hæc sunt verba: *Hoc est illud argumentum merè & evidenti veritate nixum, quod præterviderunt, quibus alia omnia conquirere in varietate temporum & necessitate casuum consilium & ars fuit.* Si itaque hæc doctrinae vera & evidenti veritate nituntur, etiam in Rege, nemini subjecto, qui non omnia jura summæ potestatis habet, quanto magis obtinebit in Principe Imperii, Imperatoris Majestatem reverente, & in civitate, eâ parte, qua exempta est, non Principi intermedio, sed eidem supremæ Majestati obnoxia. Nam in summis & inde-

per-

pendentibus imperiis longè majori cum periculo & tumultu, de partibus summa potestatis controvertitur. Intra Imperium verò Germanicum alii sunt modi, unumquemque in parte acquisita tuendi, neque postremus eorum olim fuit *Jus fœderis seu protectionis*. Ordinaria autem est, rebus Imperii quietis, summi Imperatoris litigantes sine præjudicio audientis, cognitio: Hæc in thesi vera, quis vetat Erfordiensibus applicari? sive eos constituas in aliquibus sub Principatu Moguntino, sive Saxonico, sive ab initio exemptos in quibusdam potestatis partibus dicas, cum vel Moguntina, vel Saxonica, sive Landgraviorum potestas ab Imperatore constitueretur; sive postea abdicativo titulo aliquas Principalis potestatis partes ad eos pervenisse existimes. Non est igitur quod hic paratragœdient, antequam vel doctrinam illam hæreseos politicæ convincant, vel jus Principatus Moguntini, plenum, absolutum, universale, & ab illo per modum privilegii Erfurdenses jura sua adquisivisse, probent atque demonstrent. Nihil ergo spectaculo Principum dignum parant; præstigias faciunt, cum quibus theatro exturbandi sunt ludiones: Pecuniæ etiam cupidi, non enim contenti 40000. florenis, operâ Saxoniorum Principum Alberto Administratori solutis, iterum docent & exoptulant de majori summa Saxonice data. Quid enim ajunt 40000. ad 150^m. vel 180000. Non malè responderetur, eam esse summæ minoris ad majorem relationem, quæ sit juris Moguntini ad Saxonicum. In sequentibus etiam de Saxonice consiliis, id est, de aqua ab ovibus turbatâ, fabulantur, quæ refutari nec vacat, nec opus est.

Paq. 127. 122.

Assessores Camerales diximus omnia conquisivisse, quæ profundanda potestate Moguntina dici potuere. Conquisivere nempe vel ut rationes decidendi, vel ut rationes dubitandi, prout cujusque tulit opinio. Nam hujus, ut sæpè diximus, arbitrium habuere, neque dicti nobis sunt alteri parti favisse. Quamquam homines etiam sunt, qui supremis judiciis assident, & in hac ipsa assertionè ut tales, non leviter arguuntur. Utinam non immodestius de Imperii Principibus, tam viventibus, quam mortuis, imò & de Imperatoribus & Pontificibus locuti essent Assertores, quæ nos de Camera assessoribus:

Aus

aut saltem eorum dicta retulissent fidelius. Sed longum foret hæc omnia persequi. Qui legent, atque expendent Assessorum sententias, deprehendent, eos vel dubitasse de Principatu Moguntino universalis, vel non adstruxisse apodicticis & validis argumentis, neque de superioritate, ejusque universitate aut partibus accuratè satis, ut fatentur ipsi Assertores, sensisse, eò quidem liberius, quod quæstio hæc non erat primaria, & in litem deducta, sed per occasionem disputata. Illa porrò universalitas superioritatis, sive juris Principalis, non est *metaphysica*, sed politica, & statui Imperii Germanici accommodata; non summa, sed subalterna. Universalis etiam aliquando est potestas quædam Principum, non tam in se, quam in relatione ad alias particulares spectata. Itaque si vel hac ratione Landgraviorum jus universale esse deprehendatur, non erit, de quo gloriantur Assertores. Quàm rectè enim Principis Aristotelici definitiones Imperii Principibus promiscuè accommodentur, viderint, qui id tentant. Consultius & majori cum concordia & quietis publicæ emolumento, ad formam & praxin Imperii Germanici, Theoreticorum tradita revocarentur. Itaque, quod sæpè testati sumus, non gravatè ferunt Principes Saxones, Landgravi Thuringiæ; si Præsules, si Comites, si civitates, in provincia jura habeant particularia, magna etiam, & regalia, sive ea Imperatorum munificentia ante Constitutionem Landgraviorum quæsiverint, sive ipsorum Principum, vel indulgentia vel negligentia: dummodo ipsis maneat jus Principatus universale, eo quo potest esse modo. Satis enim universale fuerit pro instituto Imperatorum, & pro salute provinciæ titulo universali Landgraviis commissæ, si potissima & ad quietem atque Ordinem provinciæ universim pertinentia jura, in pace & bello, in commerciis, in viis publicis tuendis, in Legibus, si non omnibus, iis tamen, quæ ad provincialium inter se unionem vel maximè faciunt, retinuerint, etiam in illis locis, quæ aliorum jurium intuitu, universalem illam theoreticam sive omnimodam potestatem non patiuntur. Et hæc quidem, non semel in hoc scripto aliâ atque aliâ occasione & explicatione proposita, omnium verè & moderate sentientium, & ultra vulgus sapientium assensu probatum iri confidimus: eosque nihil moraturos esse cavillationes, strophas atque tricas, tum assertiones

&c-

& repetitiones meras, nedum multiplicatas in immensum calumnias
& contumelias, quarum vel referendarum vel rejiciendarum laborem
pertæsis ad finem properandum est. Glorientur itaq; atq; clament,
quantum velint, de *vedigalium jure regali*, de *jure conductus regali*,
de *jure magistratuum constituendorum regali*, de judiciaria illa po-
testate, legislatorix præferendâ; nomothesian etiam Grammatico
argumento, ex voce *nomismatis* sibi vindicent, dummodò memine-
rint, se nihil horum neque in Erfordia, neque in Thuringia probasse.

Pag. 122. 123. 124. 125.

Ad vexatam de precibus, quarum occasione tota hæc discepta-
tio provocata est, quæstionem explicandam conversi, nihil integri
aut sani narrant, sed veram sinceramque narrationem Saxoniam
prætervecti, effunduntur in convitia; Et molitiones, (de quibus
nunquam cogitatum est,) Principibus & ministris Saxoniam affin-
gunt, ut si ad singula hæc respondendum esset, magnus nobis in-
ter manus liber nasceretur. Sed brevius omninò hæc sunt transmit-
tenda, tum quia verè jam exposita sunt, superiori libello nostro, tum
quia Serenissimi Elector & Duces Saxoniam hac in quæstione plus
gratificati sunt Eminentissimo Moguntino, quam is pro causæ statu
sperare ab his potuisset. Hanc sibi legem pacis & amicitix causa spon-
te indixerunt, neque ejus pœnitere se patientur, nisi acerbiter,
quam exerunt hoc scripto ministri, ab ipsius Eminentissimi destinata
& constanti voluntate proficisci, dolentes deprehenderint. Interim
assertoribus hæc inter alia multa per indicem quasi demonstrasse suf-
ficiat: nulla spe aut specie veritatis asseri (p. 123.) *civitatem Johan-*
Schvickardo Electori de omnimodâ purè esse confessam: ejus benefi-
cio & privilegio securitatem religionis esse adeptam: pro illo beneficio
preces fuisse, ut pro legitimo Domino & sede Moguntina: Testes more
juridico auditos, id affirmasse; Senatam, qui formulam produxit, suf-
ficienter non probasse, pro causa tantum sive successu tractatum fuis-
se oratum; Eminentissimum Electorem declarationem talem, qua deside-
rabatur, dedisse; omnia corpora Senatorum & tribunorum formulam
ann. 1660. accepisse, attamen de composito & simulato omnia gesta esse, &
ad suggestiones Saxoniam imò artibus Gothanis. Certè ex sunt artes

f

Go-

Gothanæ, quarum neque Principem Serenissimum, neque ministros
ejus pudere debeat. Virtus Principis altior est, quam ut latratus hî
ad eam pertingant. Ei etiam & cuicunque de jure debent, rationes
reddent ministri, eamque omnibus approbabit dictorum facto-
rumque suorum rectitudinem, ut appareat, merissimâ invidia, &
summa impudentia eos hic traduci. Nihil illis cum Erfurtensibus
communicationis aut consilii fuit, antequam Limprechtii artibus in
vulgus emanantibus anno demum 1661. de salute sua cogitare serid,
& Principum eousque neglectorum patrociniû circumspicere cœ-
pisset civitas. Decreta de precibus, & quidquid vel pro interpre-
tandis vel suspendendis, vel exequendis illis gestum est ann. 1650.
1655. 1660. inconsultis & insciis Principibus gestum fuit. Ille enim
vel maximus recessuum Commissionis Cæsareæ fructus esse debuit,
eoque ingenio deligebantur & evehebantur novi ex plebe rectores,
ut magis magisque civitas à protectoribus suis alienaretur, eorumque
consiliis destituta, impingeret laceram jamdum, & democraticâ
sentinâ gravem carinam, ad omnimoda scopulum. Saxoniorum
itaque ministrorum consilia, non ad deprædandum jus alienum, quod
petulanter p. 124. fingitur, sed ad verum civitatis statum, nullis ex ad-
verso convitiis improbandum, conversa, toto hoc tempore, multis de
causis, intra vota steterunt; nullâ de invalidandis, ut ajunt, recessibus
Commissionis Cæsareæ, nec spe nec molitione. Viderunt tamen & præ-
dixerunt fore, quod factum est, nempe ut de stultitiâ suâ plebs tandem
ipsa per experientiam magistram edocta, serò nimis sapere inciperet,
& inde contrario errore ab extremis difficulter sibi esset tempera-
tura. Itaque cum transactum esse diceretur ann. 1660. de precibus
publicè pro salutè Archiepiscopi Electoris & sede Moguntinâ, exi-
gua spes restabat Saxoniarum Principibus urbi proximis, transactio-
nem hanc, quæ totius civitatis consensu perfecta esse jactabatur, levi
negotio mutandi. Itaque aliud remedium non inveniebant, quam
epistolam illam dehortatoriam, quâ aut omitti preces, aut sui quoque
rationem haberi postulabant. Quæ cautio an sufficiens fuisset ad-
versus consilia *Anti-Saxonica*, merito dubitare licet. Nemo hic sub-
ornatus erat, aut subornari poterat, occupatis eo modo vel territis
magistratibus, ut accessus nullus esset Saxonice consiliis, itaque nec
lite;

literæ illæ prælectæ sunt omnibus, quorum intererat, & pastores suis primùm auspiciis disputationem de precibus orsi, tardè & timidè ad Principes desideria sua retulerunt.

Pag. 125.

Narratiuncula colloqvii cum Commissario Cæsareo à Ministro Saxonico habiti, ad rem & controversiæ hic tractatæ caput nihil facit. Privati quidem sermonis oblivio facilis est, neque ratio publicè reddenda eorum, quæ, tanquam cum amico, familiariter aguntur. Meminit tamen minister ille, in cujus invidiam affectatè & cum virulentis commentationibus hæc detorquentur, deesse historiæ ultimam optimamque partem. Nam Commissarius Cæsareus modum illum precum pro Serenissima familia Saxonica à ministro, privato ut diximus sermone propositum, non tantùm non rejecit, sed & Scultetum Moguntinum accersivit, retulitque postea ministro, Scultetum exultimare, si civitas ad preces illas pro Saxonis Principibus faciendas animum adjiceret, non repugnaturus esse Moguntinos. Dum enim præstaretur, quas deberi aiebant à civitate preces, pro Moguntino Electore, non curare de cætero, si quos alios etiam precibus suis Deo commendaret. Et hæc quidem responsio Commissarii, vel maxime consilio illi ansam causamque dedit, ut Senatus & literis & legatione commoneretur, de precibus etiam pro Serenissima familia Saxonica faciendis. Hæc profecto non negabit Dn. Commissarius, neque expectabit, ut ad cætera contra Ministrum Saxonicum præter spem & meritum, nullaque nec necessitate nec utilitate hic & alibi congesta, respondeatur. Nulla fuit Commissario adversus ministrum illum odii causa, non uno tamen modo exerciti. Non est ea generosis & gravibus viris in controversiis herilibus tractandis vehementia, ut aut modestiæ & humanitatis obliviscantur, aut causæ loco personam impugnandam sumant. Neque hic ministris insultandi mos exemplo insolenti per totum hunc Assertorum librum perpetua tabe serpens, aut causam Eminentissimi juvabit, aut Saxoniam debilitabit. Satyrici etiam poematis virtus est:

Parcere personis, dicere de vitiis.

Qvidni Scriptis publicis conveniat, causam tractare, omittere per-

f 2

fo-

sonas, nisi necessitas summa aliud urgeat. Atque utinam sine Saxo-
nici juris detrimento tacerelicuisset, de iis, quæ de actis Commissionis
Cæsareæ parcissimè tamen allegari debuerunt; modum enim ser-
vatum & honori ministrorum satis superque consultum esse, probari
poterit ipsius aulæ Cæsareæ consiliariis. Et quoniam in hoc invitè
& immeriti trahimur, paucis defungemur molestâ digressionè. Neque
erit, ut ad contumelias *pag. 127.* justam & meritissimam repositionis
severitatem regeramus. Certè non hominis, nedum ministri cha-
racterem exprimunt, sed monstrum aliquod describunt, quæ in au-
lis suis nec habent Principes Optimi & Pientissimi, nec passuri sunt
unquam. Et quomodo talis foret, qui jus Principum suorum (ut
supra loquebantur p. 6.) novo habitu ad majus robur & decus, quam
unquam instruxerit, cui etiam alia tribuunt honorifica, si non ab iis
venirent autoribus, qui etiam dona ferentes metui solent. In eam
enim formam se ingeniumque suum scriptis hinc depinxere, ut si se-
riò & ex habitu sic agunt, laudari ab iis nemini forsitan sit valdè desi-
derandum. Neque etiam calumniæ disciplinam, cujus apicem ta-
men adepti esse videntur, satis observarunt, cum nulla probabili-
tate libertatis Erfurtensis subvertendæ studium, signo etiam nota-
bili ministro Saxonico impingunt. Multis etiam contradictionibus
destruunt dicta sua: nam homini vel veræ, ut confidit, vel fucatæ, ut
cavillantur, modestiæ & pietatis nullo modo conveniet, furiosi &
bacchantis habitus, aptior illis, qui temulenti minas capitales eru-
ctare, Principes imperii nullo honoris præfamine contemptim per-
stringere, condemnare, debellare etiam in mensâ sœvi essent. In au-
la denique, si quæ alia est, negotiosâ, versantem, & cura non una nec
levi distractum, Erfurtensium causæ, cui is minimam fortasse tempo-
ris sui partem, certè non majorem, quam rei gravitas exigit, tribuere
potest, tanquam saxo Sisyphio impertinenter alligant.

Pag. 125. 126.

Repente hic tanquam alterius sectæ homo existit, qui Bartoli &
Durandi stylo, processum Commissionum nobis explanat, incertum
an applaudente auditorio. Materiam sumit dignam, quam examinent
Status Imperii in Comitibus congregati, *an tres sententia, aut tria po-*

3110

*suas rescripta ex uno eodemq; consilio aulico, ad relata Commissarii emana-
nantia revisionem impediunt. Quæstio hæc est de jure, ab asserto-
ribus non decidenda. Sat magnum illis negotium incumberet, si
quæ hic cumulant facta, probare deberent. Id enim omninò faciendū
est, si transactionem Limprechtianam pro trium sententiarum fun-
damento allegatam tueri, si de rebellionis autoribus, tanquam de
convictis & confessis, ad restringendam quam produunt sitim, suppli-
cia legitima sumere velint.*

Pag. 127. 128. 129.

Legationis Saxonicae non unius Principis, sed totius Serenissi-
mæ familiæ Electoralis & Ducalis nomine an. 1662. Moguntiam de-
stinatæ, intentionem & ordinem, ita explicavimus superiori scripto,
ut non opus sit verbum addere, cum præter scommata *ipsis domi-
nata*, nihil afferant Assertores, *rabularum* etiam & *latronum* nomen
cum Principum injuria, in ministros notæ virtutis & dignitatis, cer-
tè non sic tractari meritos, tanquam flores spargant. Specimen edunt,
quid sperandum sit ab hujus ingenii hominibus. Iniquissimus certè
fuerit, qui plus exigat à Legatis Saxonis, quam præstiterunt, §. 59.
60. prioris scripti exposita. Sed offensum est in eo, quod non in limine
negotii *Principatum territorialem in Erfordiam & Thuringiam*,
tanquam arrha loco Moguntinis obtulerint. Huc enim finis totius
tendit machinæ, ut Erfurtenses salutem quærant *in omnimoda subje-
ctione*, cui *hic harmonia* dulcitus illinitur. Saxonica verò bene-
ficia & jura, forensibus profecto interpretamentis, toto hoc scripto
ad minutissimos terminos extenuata, vel ingratis Principum, sub
clypeo Moguntini dominatus teneant. Ad hujus consilii eventum
præcoci jactantia Principes Saxones remittunt, de successu consilio-
rum suorum nimium quantum securi. Et tanquam parum actum es-
set ministris Principum acerbissimè exagitatis, jam Principes ipsos
rebellionis, consilio, hortatu, literis procuratæ, incusant, quorum
consilia, hortatus, literæ contrarium manifestissimè ostendunt. Sub
finem quidem anni 1662. divinare nemo poterat, & incredibile habe-
batur, novam Commissionem ob preces illas decretum iri, quæ si
sententiâ injunctæ erant civitati, si transactione ann. 1660. intro-

§ 3

du-

ductæ, quid svasionibus atque minis Commissariorum opus esset, nemo intelligebat. Alii enim sunt liquida iudicata aut transacta exequendi modi, itaque non sine magna causa veriti Principes, alia sub illo schemate tentari, habita deliberatione statuerunt pro declinanda Commissione strenuam operam impendere; sed prævertit eos alieno anni tempore festinatus in urbem Commissariorum adventus, & periculosè immixta Cæsarei nominis majestas. Statim itaque ut intellectum est, non aliud ab initio quam preces, & restitutionem duorum consularium urgeri, non cessatum est literis, legationibus, omniq; studio labore & fide, ut Erfurtenses hæc admitterent, neque tantùm serio & graviter id actum fuit à Dn. à Werthern, Electorali Saxonico Legato, sed & operosissimè à reliquis ministris Saxonis, in quorum odium & invidiam nequid intentatum relinquant assertores, etiam artificiosas & infidas laudes, tanquam ex opposito adornant: frustra tamen, quoniam validiori vinculo nexi sunt Serenissimi Saxonie Principes, & sincerius est ministrorum in communi causa studium, quam ut vulgato hinc divisionis seminandæ astu distrahi se sint passuri. Quæ verò causa obstinationis Erfurtensis plebis fuerit, partim expositum est superiori scripto, partim ex iis apparuit, quæ cum Limprechtò acta sunt, in apicum producto omni transactionis an. 1660. ordine. Quæ secuta sunt in civitate, prædici facilius poterunt, quam impediri, efferatâ modis plurimis plebe, non ipsi Eminentissimo Moguntino probandis. De cuius etiam æquitate meliora speranda sunt, quam quæ hic profitentur assertores, è tripode pronunciantes, non exaudiendos esse, qui culpam in multitudinem conjiciunt. Quicquid pro meriti sint, qui suo vitio in transversum acti patrarunt minimè patranda: Postulandum tamen non fuit à Principibus Saxonis, ut jus suum negligant, aut scripto publico abstineant, ob incertum multitudinis concitandæ metum: Multò minus ut multitudinem à Moguntinis non ita pridem ex potestate Senatus emancipatam, dein iisdem artibus in desperationem adactam, suo periculo sapientem aut obediensem reddant, cum præsertim nihil agere, aut in medium consulere possint, quod non pessimum in modum ipsis & ministris vitio vertatur.

Teneant itaque delicta suos autores. Principibus verò ratio

tio fuit, & etiam nunc est, eritque perpetua, obnitendi Dominatui peregrino, tuendi debito modo, & distinctis, ut par est, causis & personis, clientes suos, neque committendi, ut occasione eorum, quæ maleferiati quidam de plebe contra jus fasque egerunt, urbs tota nullo discrimine cum provinciæ inevitabili calamitate pereat, aut dimissis vilibus & noxiis capitibus, in alios vertatur ira, ut sub illo prætextu tandem aliquando oppressis & protectoribus & clientium præcipuis, idolum illud absoluti Principatus statuatur in Erfordia, & adorandum porro obtrudatur Thuringiæ, cujus figuram hinc exhibent, Titulorum nomenclaturâ, & anacephalæosi antedictorum, quæ omnia perpetuo vitio laborare probavimus, vel *elenchi inversi*, vel *petiti principii*, vel *seditiosarum vocum pro civitatis consensu venditararum*, vel *manifesta cavillationis*, vel *inanis vocabulorum schematis*; quibus omnibus si denuo opponere velimus, quæ opposuimus, quæque pro asserendo Landgraviatus Thuringici axiomate & protectionis Saxoniciæ justitia, optimis argumentis demonstravimus, æquum ageremus.

Pag. 129. 130. 131.

Non immemores declamatoriæ disciplinæ Epilogum instruunt, orationis habitui optimè convenientem. Cœpit illa in Sophismatis & insectationibus: progressa est ad cavillos, ad scommata, ad convitia, ad manifestas injurias & contumelias: finit in minis atrocibus, in implorationibus nullo jure nitentibus, quatenus vel in Principes Saxonicos, vel eorum ministros, vel civitatem, criminum quæ privati peccarunt in fontem, diriguntur. Nihil proficient hæ artes apud Imperatorem Augustissimum: nihil apud status Imperii, qui de causæ momentis, de proscriptionis in Erfurtenses jaculatae ordine & viribus: de distinguendis fontibus & infontibus, rectius atque melius, nihil potentiæ aut gratiæ daturi, judicabunt. Recordabitur Sacra Cæsarea Majestas eorum, quæ ad Serenissimos Principes clementissimè rescripsit, de securitate jurium

Sa-

Saxonicorum, & ipsius civitatis Erfurtensis amplissime
testantia, neque committet, ut ea interpretamentis ma-
lignis, aut vi merâ enerventur. Status verò Imperii, ex-
emplum ad animum revocabunt, quo non ad civitatis tan-
tum Erfordiensis, & ad multorum innocentium in eâ mil-
lium exitium festinatur, sed & Principum antiquissima
certissimaque jura, imò omnis vis, ac dignitas Principa-
tus Thuringici, in extremum adducuntur discrimen. Sed
*DEUS profecto tuebitur jura legitimorum Principum, quibus vi-
ces suas demandavit*, quod unum sapiens assertorum di-
ctum, sibi jure merito applicant Serenissimi Saxoniae Du-
ces, & divina benignitate, causæque bonitate & justitia
freti, *Augustissimo Cesari, & magnis Imperii ordinibus*, iteratâ,
quæ priori libello subjuncta est petitione, se suaq;
jura decentissimo modo com-
mendant.



imè
ma-
ex-
tan-
mil-
ima
ipa-
Sed
vi-
di-
Du-
titia
atâ,
is





Ya 5328h

ULB Halle


3

004 654 536



V017 20





10

Mr. Aug. Schick

DE
JUSTA
NIS SA

Adversus

Affer

M.

O
IO.
A-

ulen-

e,

